

tem, vel localē possint alias determinari, & iudicari; secūs vero faciens non audiatur, & pro temeritate sua puniatur.

Prior verò Prouincialis, seu localis, qui quæstiones, vel casus subditorum suorum ad se deduc̄tos, qui per eum possent determinari, ad Capitulum Prouinciale deduci fecerit, vel permiserit, sit voce paliuā per biennium priuatus. Idem sit iudicium, si Prior Prouincialis prædictas causas ad P. N. Vicarium Generalem, vel Prior localis, ad Priorem Prouincialē deduc̄fecerint, vel permiserint; nisi hoc facerent ad hoc, ut eorum rectitudo Superioribus patueret.

Deputet quoque, maximè de Prioris loci cōsilio, Capituli celebrandi Rectores duos, qui Diuini cultus Officium ordinent, quibusque omnes obedire teneantur, in his quæ ad prædictum cultum pertinebunt. Deinde Pater Præsidēs dicat altā, & intelligibili voce.

*Si quis noverit causam, propter quam vocē quis actiuem, vel paſtiuam habere non debet in praesenti Capitulo, eam referat Iudicibus causarum; alias enim sine dicto, pertransibunt omnes electiones; nec postquam electio Prioris Prouincialis cras incep̄ta fuerit, aliculus, super hac re, proclamatio admittetur.*

Mox vnu ex Vocalibus, de Patris Præsidentis mando, litteras omnes, ac singulas, tam in formâ clausâ, quam patente, toti Capitulo directis; nō verò Diffinitorio: (istæ enim suo tempore legentur) accipiet, ac coram omnibus videturibus, & audiencibas distincte legere; ac etiam eos, quæ missæ fuerint a Conuentibus, rationum scilicet, introituum, & expensarum, legat, & calculet, atque eoru summas scribi faciat, ut Prouinciali electio postea tradatur, & cum originalibus libris Conuentuum, suo tempore conferantur, & cuilibet Priori restituant litteras sui Conventus; ne fraus aliqua possit fieri.

Post hæc decidatur, & diffinatur sigillatim de omnibus, ac singulis litteris, querelis, & petitionibus, Capitulo delatis, quid in singulis respondentum, iudicandum, corrigitandam, mandandum, statuendum, ordinandum, &c. sit.

Præterea omnes Diffinitiones aliorum Capitulorū eiusdem Prouinciae, quæ in viridi fuerint obseruantia, coram omnibus legantur: & si quid mutandum, delendum, vel iuxta temporum mutationes, de nouo diffiniendum fuerit, mutetur, deleatur, aut diffinatur: & quæ intacta remanserint, de nouo confirmentur, per aliquam clausulam generalē, & ea omnia seriosè in aliquo quaterno scribantur: subinde in libro Prouinciae transcribantur, & manu Patris Præsidentis, & omnium de corpore Capituli subscriptibantur.

Demùm facta Confessione in communī, genibus flexis, & data generali absolutione à Patre Præsidente, sedente secundū formam in Religionē consuetam, dico. *Autorum nostrum, &c.* de Capitulo egreditur: & ex tunc nullus Vocalium, sine Patris Præsidentis licentia speciali, extrā Conuentum vadat, quousque ultimo die Capitulum Prouinciale solvatur.

Die verò Sabbati, Prima cantetur; postea Pater Præsiderens Missam de Spiritu Sancto solemniter, & deuotè cantabit cum *Gloria, & Credo*, atque deabus Collectis, vñà Beatisimæ Virginis, & alia Sancti Patris Nostri Augustini. Omnes etiam Vocales Missam de Spiritu Sancto similiter celebrabunt.

Præcipimus autem, ut in singulis Conuentibus eiusdem Prouinciae, eadē die, Missa de Spiritu Sancto solemniter cantetur, sine *Credo*, cum eisdem Collectis. Deinde verò, per oīlo dies continuos, vbi que in Missa Conuentuali, & in priuatissimis Missis addatur Collecta, Omnipotens sempiterne Deus, qui facis, *&c.* Post Laudes verò, & Vespertas, flexis genibus, dicatur

## Parstertia

Plalmus, *Ad te lenauit, &c.* cū Gloria Patri, Kirtle elegi-  
sen, Pater noster, &c. Et ne nos, &c. Saluos fac, &c.  
Mitte eis Domine, &c. Nihil proficiat, &c. Domine  
exaudi, &c. Dominus vobiscum, &c. Oremus. Omnipotens  
sempiterne Deus, qui facis, &c.

In Conuētu autem, ubi Capitulum celebratur, die Do-  
minicā, Missa de Spiritu Sancto, vt suprà, ab aliquo de Ca-  
pitularibus cantetur, & Feria secundà post tertiam Domini-  
nicam, Vigilia cum Missā, pro nostris Defunctis, solemniter  
celebretur. His omnibus ut Capitulares interfint, sol-  
licitare reueantur Rectores Diuini cultus.

Explēta Missā de Spiritu Sancto, pulsata tēr campa-  
nella, pro Capitulo conuocando, vt moris est, omnes,  
tām Vocales, quām non Vocales, ad Capitulum conue-  
niant: & indē bini, & bini, processionaliter ad Ecclesiā  
vadant, atque ordinatè coram maiori Altari genuflectāt.  
Tunc factō signo à Presidente, Cantores in medio, etiam  
genufexi, incipiāt Hymnum.

*Veni Creator spiritus,*  
*Mentes tuorum visita.*  
*Imple superna gratia,*  
*Quæ tu creasti pectora, &c..*

Vt in Capitulo Generali reperietur.  
Post primas tres dictiones, surgant omnes, & alterna-  
tim, ex vtroque Choro, torum decantent.

Postea Cantores in medio cantent.

Vers. *Emitte spiritum tuum, & creabimur. Al-*  
*leluya.*

Resp. *Et renouabis faciem terræ. Alleluya.*

Deindē Pater Præsidens cantet in loco suo.

Vers. *Dominus vobiscum.*

Resp. *Et cum spiritu tuo.*

ORE

## Conf. Aug Dicat.

## OREMVS.

DEVS, qui corda Fidelium, Sancti Spiritus illa-  
stratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta  
sapere, & de eius semper consolatione gaudere.

Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando pre-  
beni, & adiuuando prosequere, ut cuncta nostra oratio,  
& operatio, à te semper incipiat, & per te cepta finia-  
tur.

Adesto supplicationibus nostris, Omnipotens Deus,  
& quibus fiduciam sperande pietatis indulges, inter-  
cedente Beato Patre Nostro Augustino, Confessore tuo, at-  
que Pontifice, consueta misericordie tribue benignus ef-  
fectum. Ter Christum, &c.

His peractis, sedeant, & dicat Pater Præsidens. Benedi-  
cite. Resp. Deus. Deindē, altà voce dicat. Recitentur  
obitas Fratrum, Familiarum, propinquorum, & Bene-  
factorum nostræ Prouincie, qui hoc triennio diem suum  
obierunt, vel sua bona aliquando Monasterijs nostris re-  
liqueverunt. Et primo Venerabilis Prouincialis recitarib  
nomina Benefactorum totius Prouinciae: deindē singuli  
Priores ordinatim, incipiendo à primo, surgentes com-  
mendabunt omnibus animas Fratrum, qui in illo triennio  
in suis Conuentibus mortui sunt. Item Patrum, vel Ma-  
trum, Fratrum suorum Conuentuum, & particularium Be-  
nefactorum, qui illo triennio diem suum obierunt. Recita-  
bunt etiam nomina eorum, qui suis Conuentibus bona sua,  
pro sustentatione Fratrum reliquerunt: quibus omnibus  
recitatis, Pater Præsidens dicat ista verba.

Debitum Missarum, & Officiorum, tam Fratrum,  
quām Fraternitatis litteras habentium, & istorū omnīa  
propinquorum, & Benefactorū nostræ Prouincie Defen-  
sorū.

## Pars tertia.

itorum in fine Capituli reseruamus iniungendum, cum Benefactores diu recitabuntur: ut pro his omnibus integre satisfaciamus: nihilominus oremus pro supradictis Defunctis.

Tunc Cantores in medio incipiunt, De profundis, &c. Kyrie, &c. & Pater Praesidens dicat.

Pater noster, &c. Et ne nos, &c.

Ver. A porta inferi. Resp. Erue Domine animas eorum.

Ver. Requiescant in pace. Resp. Amen.

Ver. Domine exaudi, &c. Resp. Et clamor, &c.

Ver. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.

## O R E M V S .

D E V S venie largitor, & humanae salutis amator. Quia sumus clementiam tuam, & nostra Congregatio- nis Fratres, Consratres, Familiares, propinquos, & Bene- factores, qui ex hoc seculo transferunt, Beata Mariam semper Virgine intercedente, cum Beato Patre Nostro Augu- stino, & omnibus Sanctis, ad perpetua beatitudinis consor- tium peruenire concedas. Per Christum, &c. Requiem, &c. Requiescant, &c.

Tunc Pater Praesidens dicat. Omnes Fratres, tam Vocalis, quam non Vocalis, accedant ad Capitulum. Et Fra- tres bini, & bini coram Altari maiori genuflectentes, cum silentio ad Capitulum accedant.

QUOMODO PRIOR PROVINCIALIS  
Officio suo debeat renuntiare.

## §. III.

S I venerabilis Provincialis, casu aliquo infirmitatis, vel Alterius impedimentii ineuitabilis occasione detentus;

ad

## Conf. Agus. Fiscal.

177

ad Capitulū non venerit, per Sociū suū, sigillum Provinciæ mittat, & nomine suo, coram omnibus resignandum, cum litteris propriā manu subscriptis: quibus rationē red- dat Patribus Capituli; quare ipse personaliter Provincialibus Comitijs interesse non poscit: Ab ipsā verò die præ- fixa sit, ipso facta, a Provincialatus Officio absolutus: & ad electionē alterius penitus procedatur. Quod si Provincialis iusta excusationē nō habet, ad memorati Capitulū ve- nire contemperit, ex tunc, usque ad decennium, ad omne Officium cum curā animarum ineligibilis permaneat.

Parte igitur Praesidente, & omnibus alijs, tam Vocali- bus, quam non Vocalibus, in Capitulo cum silentio matu- rè confidentibus, Prior Provincialis surgens, omnibus ei reverenter assurgentibus, genua flectat ad pedes Patris Prae- sidentis, & Officio Provincialatus simpliciter, cum omni modestia, & humilitate renunciet, & sigillum Provincialē, in manibus eius, cōsignans, ab Officio petat absolui: & tunc Pater Praesidens respondeat, dicens: Et ego auctoritate qua fungor in hac parte accepto renunciationem tuam, & absolu te ab Officio Provincialatus huius Provinciae No. In nomine Patris  & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Et ex tunc ad Officium Provincialatum eisdem Provincialē in illo Capitulo nullo modo assumi possit.

Deinde Provincialis absolutus, de osculatâ manu Patris Praesidentis, à sinistra eius flectat. Post hanc unius ex Iudiciis causarum surgat, & pronunciet hoc modo: videlicet.

Hi sunt illi Patres, qui in presenti electione no- ni Provincialis, habere debent vocem attinam: scilicet Pater Noster N. Praesidens, huius presentis Capituli. Pater N. Provincialis absolutus. Patres Dif- finitores Capitali præteriti: scilicet Pater N. & Pater N. &c. Deinde Provinciales absoluti. Postea nomi- netur Priores omnes; nō quidē seruato ordine gradus, vel pri-

*Pars tertia*

primogenitura in Ordine, sed dignitatis, sed præminen-  
tia Conuentuum: dummodo Conventus, in quo Capitu-  
lum celebratur primum tempore obtineant locum, inter om-  
nes alios, quicumque ille sit (qua propter præcipimus, ut in  
singulis Provincijs ordo seruandus inter Conventus sta-  
tuatur) ex tunc Socii Venerabilis Provincialis. Et sicut  
prædicti omnes nominati factint, sic sedebunt, primus à  
Choro Prioris, & secundus à Choro Superioris, & sic de  
ceteris: & hic ordo sedendi seruetur à primo Capitulo Fe-  
riæ sextæ, usque ad solutionem Capituli Provincialis, in  
omnibus publicis actionibus, vel quandocumque, & quo-  
tiecumque Fratres simul congregati contigerit, tunc  
enim volumus quod Capitulares eos; qui non sunt Ca-  
pitulares, omnino præcedant, ordine prædicto inter se ser-  
uato.

Deinde Pater Præsidens admoneat omnes, ut sint solli-  
citi circa celebrationem Missarum, & sequelam Chori, &  
ut intrent diligenter Capitulum, & Diffinitorium, quando  
vocati fuerint: ut Officium Diuinum in Ecclesia grauiter, &  
solemniter cantent, & deuotè dicant, ut que omnes obe-  
diant Officialibus Capituli. Postea dicat hæc verba,

*Omnes quotquot non fuerint nominati inter vocem acti-  
uem habentes, in hac noui Provincialis electione celeban-  
da, Capitulum egrediantur.*

Cuius iussioni omnes simpliciter obedient.

*DE ELECTIONE NOVI PROVINCIA-  
lis.**§. IV.*

**I**N Provincialem non eligatur nisi talis, qui sit bona vi-  
ta, & famæ, & in sacris litteris medio critter eruditus,  
qui aliquando in Officio Prioratus laudabiliter se gesserit,  
&

*Conf. Aug. Disca.*

& qui quadraginta annorum ætatem habuerit, & laudabili-  
ter vivendo in Ordine, quindecim con pleris annos; &  
qui nunquam apostatauerit. Si tamen in iuventute sua; non  
propter scandalum aliquius delicti commissi, sed animi le-  
uitate, quis nostram Religionem semel tantum exixerit, &  
reversus, quasi statim ad illam, in ea semper laudabiliter vi-  
xerit, poterit, immo debet, Capitulū Provincialē cui hu-  
iustmodi dispensare, ut ad omnes indifferenter obedien-  
tias Religionis (si alias fuerit idoneus) assumatur, & elecio-  
nes de eofactas confirmare. Ille vero, qui ad Provincialia-  
tus Officium, secundum Ordinis nostri Statuta assomi ligiti-  
mè non potest, nec ad Vicariatus Generalis Officium assu-  
mi posse, cum huismodi assumptione honori Ordinis nō fit  
consona.

Igitur Pater Præsidens Electores admonebit, ut nec  
precibus, nec favore, nec timore, odio, vel amore, à vero  
electionis tramite discedant, sed illum elegant, quem, sug-  
gerente Spiritu Sancto, testimonium illis perhibente confi-  
cientia, ad spiritualium, & temporalium bonorum regimē  
fore vtilior em, cognoverint: & facto iuramento ab omni-  
bus, quod in Provincialis electione, ei suffragium esse ab  
ipsummet dandum, quem ad huismodi munus subveni dum  
magis idoneum in Domino senserint: postea proponat pu-  
blice in communio ex Vocalibus tres Patres fideles ex di-  
uersis Conuentibus Provincialiæ in Scrutatores omnium ele-  
ctionum Capituli eligendos per ballotulas.

Si vero continget tres nominatos Patres, aut aliquę,  
vel aliquos, ipsorum non acceptari: ex tunc Pater Præsidens  
alium, vel alios, eorum loco, proponat, donec de tribus  
Scrutoribus prouisum sit; & postea illos confirmet di-  
cens.

*E*t ego N. Præsidens presentis Capituli, autoritate,  
quæ fungor, confirmo vos in Scrutatores electionis de Prio-

## Pars tertia

re Prouinciali de nouo in praesenti Capitulo celebranda, dans vobis omnem authoritatem, & potestatem, quam cœteri Scrutatores huiusmodi electionis solent habere. In nomine Patris + & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Ex tunc in electione noui Prouincialis procedetur, quæ fieri debet, sicut in Capitulo Generali: videlicet. Appositâ vna mensâ in parte remotoriori à Vocalibus, in eâ præparata sit parua schedula, cum atramentario, & calamo: ibi que vnuquisque Vocalium per ordinem, incipiendo à primo, scribat nomen, & cognomen illius Patris, quem ipse voluerit in Priorem Prouinciale eligere, in vna schedula, statim que eam mittat in bussulam.

Demum Scrutatores, facta prius collatione numeri Vocalium, quem norauerint ad numerum votorum, seu vocum, quas in prædictâ bussula inuenierint: postea calculabunt numerum vocum, quas in plures diuersos Patres conuenire repererint. Si autem in quempiam maior pars eligentium conuenient, procedetur ad publicationem, ut infra: si vero in nullum maior pars eligentium cōsenserit, nomina illorum trium Patrum, in quos plures consensisse inuenierint, scribant: & primus Scrutatorum pronuntiet, alta voce, hoc modo, videlicet.

*His sunt illi tres Patres, in quos plures ex Vocalibus consenserunt scilicet PP. NN. &c. Ex his tribus potestis unum eligere in Triorem Prouinciale huius Prouincie N.*

Postea nomina illorum trium Patrum super tribus distinctis bussulis affigent, quas super tabulâ, ubi ab omnibus videri possint, reponent: dabuntur que singulis Vocali singulæ ballotulae ex panno cōsuta, in manibus, qui per ordinem ad locum bussularum accedentes, manum, in qua ballotula tenent, supra singulas bussulas predictas apponent, & in eius bussulam, quem in Priorem Prouinciale voluer-

## Conf. Aug. Discal.

tint eligere imminenter ballotulam successiū, usque ad ultimum.

Tunc Scrutatores accedant ad aperiendas bussulas, & calculandas ballotulas, quas in singulis earum inuenient. Quod si in nullum illorum trium Patrum maiorem partem Vocalium consenserint inuenient, reassumptis ballotulis, sicut iterum, ut supradictum est, super iisdem tribus Patribus de nouo ballotatio: nihilominus in hac ultima vice, antequam bussulæ aperiantur, primus Scrutatorum, dicat, hoc modo.

*Reuerendi Patres Electores, qui dedidistis vota vestra, & ballotulas vestras illis duobus Patribus, qui non habent plures, estis ne contenti dare illas ei, qui plures habuit, in bussula nomine suo inscripta? vel si plures in paritate votorum, sive vocum, conuenient; ita ut nullus sit, qui plures voces habeat, vos qui dedidistis vota vestra, & ballotulas vestras ei, vel eis, qui minor est, vel minores sunt, secundum dignitatem loci, vel ceteris paribus, secundum professionis primogenitura in Ordine nostro: estis ne contenti, dare illas ei, qui maior est, secundum locum, vel professionem?*

Et respondentem vno (omnibus consentientibus) ille scilicet, qui primum locum post Præsidentem habuerit, hoc modo. *Samus contenti dare, ut requiritis, & eas de facto damus. Si vero declarante Præsidete, ut in Capitulo Generali stabilitur,*

Scrutatores tunc accedant ad aperiendas bussulas, & calculandas ballotulas, quas in singulis earum inuenient, & antiquior Scrutatorum illum, quem simpliciter plures ballotulas, in bussula suo nomine inscripta, quam quemlibet alium, habuisse invenient, vel in paritate vocum antiquiorem locum, vel in Ordine prius professum, hoc modo pronuntiabit. Primum campana Capituli ter pulsabitur, pro Capitulo congregando, &

## Parteria

Fratribus omnibus congregatis dictus Scrutator electio-  
nem pronuntiante publice, alta voce, dicat.

*In nomine Domini Nostri Iesu Christi benedicti. Amen.  
Anno eiusdem millesimo, C. Dic. C. M. c. C.  
Ego F. N. primus Scrutatorum presentis electionis, Spi-  
ritus Sancti gratia innocata nomine meo, et omnium, ad  
quos presentis pertinet electio, eligo in Priori Prouincia-  
lem huius Prouincie, P. N. a. N.*

Et statim facto signo, cum campanella Capituli, cam-  
panæ omnes pulsentur, & Cantores solemniter incipiunt,  
*Te Deum laudamus*, & omnes Fratres bini, & bini, ut mo-  
ris est, ad titulum Capituli se inclinantes, & processiona-  
liter cantantes, precedente Cruce cum Acolytis, Ecclesia  
ingrediatur: & qui in Priorem Prouinciam electus fue-  
rit, post ceteros cum Patre Praesidente incedet, genua fle-  
tus ante Altare maius, & P. Praesidens dicat.

Vers. *Domine exaudi orationem meam.*

Resp. *Et clamor meus ad te veniat.*

Vers. *Dominus vobiscum.*

Resp. *Et cum spiritu tuo.*

## O R E M V S.

*O*mnipotens sempiterne Deus, qui facis miracula  
magna solas, pretende super Famulum tuum N. et  
super Prouinciam illi commissam, spiritum gratiae salu-  
taris, et in veritate tibi placeat perpetuum ei rorem  
tuæ benedictionis infunde. Per Christum, &c.

Quibus explatis, Pater Praesidens ante Priorem Prouin-  
ciam elestum, ad medium Altaris accedat, & sedeat, è  
regione, confirmabitque eum hoc modo. Tradet namque  
in manibus eius sigillum magnum Prouincie, dicens: *Ez*  
*ego autoritate, qua fungor, in hac parte, conseruo te in*  
*Priorem Prouinciam huius Prouincie N. dans tibi om-*  
*nem*

## Const. Aug. Discal.

*nem auctoritatē, et potestatem in spiritualibus, et tem-  
poralibus, quam ceteri Triaores Prouinciales ei sedē Pro-  
uincia solent habere. In nomine Patris, H. et Filij, et  
Spiritus Sancti. Amen.*

Quando P. N. Vicarius Generalis Praesidens Capituli  
fuerit, ut solet, post confirmationem factam novo Priori  
Prouinciali, erigat eum, & sedere faciat ad sinistram eius;  
nec ei de osculetur manum, sed solum ceteri Vocales suc-  
cessiū per ordinem illud faciant. Si vero aliis quicunque  
sit Praesidens, erigat illum, & sedere faciat ad mediu[m] Alta-  
ris, & genibus flexis ante eum, de osculetur ei manum: po-  
ste surgens sedeat ad dexteram ipsius, & sic ceteri succe-  
ssiū per ordinem faciant, in signum obedientie, & reuer-  
tentie, & ad loca vadant: quibus expeditis dicto à Patre Prae-  
sidente, *Adiutorium*, &c. omnes bini, & bini ab Ecclesia  
egrediantur.

Volumus tamen, & decernimus, ut præter illam per Pa-  
trem Praesidentem factam confirmationē, omnes Prouin-  
ciales per P. N. Vicarium Generalem se se confirmandos  
curent (si Capitulo non præfuerit) quam citius fieri pos-  
sit, habita ratione maioris, vel minoris distācie Prouincia-  
rum, atque itineris difficultatum. Si vero aliquis Prouin-  
cialis negligens notabiliter, in hoc repertus fuerit, a P. N.  
Vicario Generali puniatur, vsque ad priuationem Officij,  
si sibi videbitur expedire.

DE MODO ELIGENDI DIFFINITO-  
RES.

## §. V.

*E*adem die Sabati, immediatè, post Vesperas, cogre-  
gato Capitulo Vocalium, ut suprà, Pater Praesidens  
hortabit ut omnes ad electionem Diffinitorum rite, & pro-  
videt

uidē celebrandā, per vota secreta, & vnusquisque nomina quatuor Patrū in buſſulā mittet, & illi quatuor, in quos plures conſeruent pro Diffinitoribus habeātur. Quod si aliqui in paritate vocū concurrerint, ita vt ex quales voceſ ha- beāt, iunc praeferēdi ſunt, qui primū locum actualiter ha- buerint; ſin verò ſecundū professionis primogenita in Or- dine. Non eligatur autē in Diffinitore Provincialis abſolu- latus immediatus: hoc eſt, qui tunc Provincialatus Officio functus fuerit, & quoad fieri poſſit nō eligatur etiā in Di- finitorem, qui huiusmodi Officio aliquando functus fuerit, vt tali honore cæteri ſimiliter fruantur.

Facta ergo elecione, primus Scrutatorū publicè in Ca- pitulo pronuntiat, hoc modo.

Ego F.N. primus Scrutatorū buins Capitali Provinciali- lis, nomine meo, & nomine omnī, ad quos preſens Diffini- torū pertinet elecțio, eligo in Diffinitores preſentis Ca- pituli noſtra Trouincia N. Patres F.N. & F.N. &c.

Tunc iij quatuor, qui electi fuerint, coram Patre Praeſi- dente genua flectant, & ipſe eos conſirmet, dicens.

Ego authoritate, qua jungor, conſirmo vos in Diffinito- res preſentis Capituli noſtra Trouincia N. dans vobis om- ne authoritatē, & potestate, quam cæteri Diffinitores huic modi Capituli noſtri ſolent habere. In nomine Pa- tris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Ipsi verò conſirmati, deoſculata manu Patri Praeſiden- tis, ſed eant poſt Provincialē abſolutum, ordinem inter ſe ipſos in noſtra Religione conſuetum ſeruātes, poſt quoſ ſed eant Diffinitores Capituli preſidentis.

Deinde publicentur illi tres Patres, qui poſt Diffinito- res elec̄tos, plures quam alij voceſ habuerunt, & ſtāim declaretur, quis eorum plures habuit: quod etiam ad- notabitur in libro Provinciali, vt ex illis poſſit aliquando ſuppleri defec̄tus Diffinitorū, ſi caſus emergerit, prout in- ſerius dicetur.

Dif.

Diffinitorium cuiuslibet Capituli Provincialis ſep̄ē Pa- trum numero integrari volūmus, videlicet, Patre Praeſi- dentre (niſi adſit P.N. Vicarius Generalis) Priore Provinciali elec̄to, & Provinciali abſoluto, & quatuor Diffinitori bus elec̄ti: & ideō ſi quē praedictorum in Provincialē eli- gi contingeret, ſiue alio, aut alijs morte praeuēti, vel alijs abtentibus, numerus ſeptem Patrum in Capitulo celebrā- do, oppōrto tempore; non inueniretur, tunc in eo caſu, is, vel iij, qui, poſt quatuor Diffinitores elec̄tos, plures alijs voceſ habuerint, pro Patribus additis Diffinitorio prou- tientur, conſirmentur, & numero aliorum aggregētur, cō- ſuetu ordine cum alijs ſeruāto. Si autem omnes quatuor Diffinitores actualis vita ceſſerint, vel alio quoque im- pedimento fuerint detenti: tūc Diffinitoriū ſuppleatur ex Diffinitoribus Capituli immediate preſidentis, ita ut nū- quam diuſum Diffinitorium diminutum reperiatur.

His expletis, Pater Praeſidens inbeat, vt qui litt- rashabent Diffinitorio porrigendas, eas omnes ultimo ex Diffinitoribus preſentent, qui eas in ſacculo colligens Patri Praeſidēti, & cæteris Diffinitorio annumeratis, pre- ſentabit.

Provinciales abſoluti, & Diffinitores actuales (ſi Pro- vidualis preſens nō fuerit) in omnibus Priori locali ſub- iciātur. Nolumus tamen quod ab ipſo Priore in publico, villo modo, punianrur, vel, corripiantur; ſed ſi deliquerit moneantur in occulto: & ſi opus fuerit, de excessu certior fiat Provincialis. Erunt quoque Conuentuales vbi cumque adſuerint, etiam paucis diebus.

Si aliquis Diffinitor Provincialis ante Cōgregationem intermediate ē vitā migrauerit, vel ad aliquod Officium auſumetur, ille qui loco illius eſt ſubrogandus, in Capitulo intermedio, & Provinciali ſequenti vocem habeat: loco autem ultimo inter alios Diffinitores poterit.

DE.

DE OFFICIO, ET A U T H O R I T A T E P A-  
TRIS PRÆSIDENTIS.

§. VI.

**A**bsente P.N. Vicario Generali à Capitulo Provincia-  
lit, ad Patris Præsidentis spectat Officium, omnibus,  
& singulis, tam in Diffinitorio, quam in communione omnium  
Vocalium Collegio proponendis, tractandis, & expedi-  
dis personaliter interesse, ac præfere, & expedienda omnia  
proponere, & acta omnia, & gesta, decisa, elesta, de libera-  
ta, determinare; diffinita, ordinata, statuta, & ita facta tunc  
confirmare; modò tamē Diffinitiones huiusmodi postea  
à P.N. Vicario Generali confirmantur. Non poterit autē  
se intro mittere de cassibus, qui P. N. Vicario Generali in  
Constitutio nibus referuantur. Cauent etiam Patres Diffi-  
nitiorum, ne quidquam diffinant, quod istis nostris Constitutionibus  
contradicat, sub pena priuationis vocis passiū;  
ad arbitrium P.N. Vicarii Generalis.

NOTAE.

**A**dviam ambitus omnino præcludendam, & plurimā  
inconvenientia impedienda (qua in Prioris Provincialis  
electione, Præsidentium potestate, evenire, quandoque  
experientia docuit ( Decreto Clementis Papa VIII.  
Usa recepto) prohibetur, ne Præsidentis Capitali  
Provinciali in Provincialiē  
eligi posset.

\* \* \*

DE

Conf. Aug. Discal.

187

DE ORDINE IN DIFFINITORIO SER-  
UANDO.

§. VII.

**C**ollegitis igitur litteris, horā, quæ Patri Præsidenti vi-  
debitur opportuna, idem Pater Præsidentis, vñā cū cæ-  
teris de corpore Diffinitorij, in loco aliquo decenti, & se-  
creto, vbi sit Altare paratum, collegialiter conueniant, &  
omnibus genuflexis, ante sacram imaginem, Pater Præsi-  
dens incipiat sine cantu.

Veni Creator Spiritus.

Mentes tuorum visita, &c.

Et alternatim totum dicant. Pater verò Præsidentis.

Ver. Emitte Spiritum tuum & creabitur. Alleluia.

Kesp. Et renouabis, &c.

Ver. Domine exaudi, &c. Resp. Et clamor, &c.

Ver. Dominus vobiscum. Resp. Et cum, &c.

ORE MVS.

Deus qui corda Fidelium, &c.

Actiones nostras, quae sumus Domine, &c.

Aduerso supplicationibus nostris, &c. &c. &c. supra.

Deinde surgentes ad paratam ibidē tabulam, super quā  
commode scribere poscent; in quā sint omnia huiusmodi  
actui necessaria, hoc ordine confidebunt, videlicet Primò  
Pater Præsidentis, solus in titulo tabulae, Prior Provincialis  
electus à dextris, Provincialis absolutus à sinistris, primus  
Diffinitor à dextris, secundus à sinistris, tertius à dextris,  
quartus à sinistris, ordinē, inter se ipsos, in nostra Religio-  
ne consuetum seruantes, qui etiam eodem ordine ad pro-  
posita respondebunt.

Ip.

Ipsius situr sic consedentibus, Pater Praesidens, dicat: *Aditorium, &c. ut supra.* Subinde hortabitur omnes, ut in omnibus, & singulis, in ipso Diffinitorio, per ipsos tractandis, & diffiniendis, sedatis passionibus, odio, amore que, ac similitudinibus, depositis, zelum Dei, & Religionis, pro oculis habentes, ea, quæ Dei honorem, animarum salvitatem, morum correctionem, Regularis vitæ reformatiōnem, & Religionis conseruationem, ac propagationem, profectusque in Domino concernere videant, exequantur: præcipue verò, quatenus id efficere valeant, quod sic eis animus in consulendo liber; nec alicui priuato affectu obnoxius.

Præcipiat quoque eis omnibus, sub pœna priuationis vocis actiue, & passiuæ, per quinquennium, sine dispensatione: vt tam ea, que in Diffinitorio proponi, tractari, decidì, ac fieri, cōtigerit, quam ea super huiusmodi à quo quis in ipso Diffinitorio existente prolata fuerint; nullo quoquis modo, absque totius Diffinitorij speciali commissione, vel licentiâ, alicui extraneo à corpore Diffinitorij reuelent, durante tempore celebrationis Capituli, nec ullo alio tempore, ea quæ vergere in detrimentum, vel infamiam alicuius, vel discordias inter Fratres possunt seminare, euomere audeant: quod obseruare omnes iurabunt, ponentes manus, super Sancta Dei Euangelia, & primus omnium iurat Pater Praesidens.

Quod si aliquis, aut animi levitate, aut quævis alia de causa, hoc tam salubrè, ac rationabile præceptum, ac iusuitandum infringere præsumperit, prætaxatâ pœnam, sine aliqua dispensatione, se nouerit incurrisse. Si verò transactio quaque anno, per misericordiam, in Diffinitorem assumiterum contigerit: & ipse denuo, aut proposita in Diffinitorio, aut sententias, sive verba prolata alicuius, vel aliquorum Parrum de Diffinitorio, ut supra, detegere, aut propa-

ta-

dare non erubuerit, ipsum tanquam ad huiusmodi dignitatem penitus inhabilem, praesenti Constitutione, à quotis nostræ Religionis Diffinitorio, perpetuis futuris temporibus, abiçimus, & omnino relegamus.

Deinde, pro aptiori negotiorum expeditione, duos vigilis Ostiarios ordinet: quorum alter semper propè ostium Diffinitorij præstò sit, alter verò per Domum vocatos inquirendo, sicut oportuet, maturè festinatione, discurrat. In fine verò, quando Collegium solvere, & locum Diffinitorij exire voluerint, putà ad prandium, vel cenam, ituri, Pater Praesidens dicat.

*Sit nomen Domini benedictum.*

*Resp. Ex hoc name, &c.*

Quando cumque autem ad ipsum locum Diffinitorij deinceps collegialiter eos congregari contigerit, fieri, ut supra notatum est.

Die Dominicâ spiritualibus præsertim vacabunt. De manè fiat solemnis processio. Infra Missam fiat Sermo, & aliqua dicantur in laudem, & commendationem nostræ Sacrae Religionis, sine præiudicio tamen aliarum.

Feriâ secundâ, canetur Missa, pro Defunctis Fratribus, cum Sermone, & solemini Responilio, in fine. Prouideat autem Prior Prouincialis, multis antè diebus, quinam sint predicatori, ad quod non assumentur, nisi doctiores, matuiores, prudentiores, & modestiores, & qui magis satisfacere valeant audituris,

Ad ea, que disponenda fuerint, procedetur hoc modo. Nam primò unus ex Patribus Diffinitorij, de Patriis Presidentis mandato, litteras omnes, ac singulas, tam in formâ clausâ, quam patente, Diffinitorio tantummodo directas, accipiet, & coram omnibus videntibus, & audiētibus distinctè leget. Alter autem eo-

rum quidquid ex litteris ipsis lectis decidendum, & id quod respondentum fuerit, in aliquo speciali quaterno (qui Decidenda inscribetur) seriosè notabit, & sicut successione litterarum huiusmodi lectæ fuerint, alius aliquis de Diffinitorio easdem in distinctis filiis infigat, ad finem vique Capituli, & Diffinitoriij omnimodam solutionem, & quoisque opus esse videbitur reserandas.

Postea iuxta numerum literarum, sic vnum, vel plures elegant Diffinitoriij Cancellarios, sive Secretarios fidos, ac discretos, & qui secreta seruare noverint, quos de singulis litteris, nomine totius Capituli, vel Diffinitoriij, sine mora expedientis, tam responsibus, quam alijs, informabunt: illud memoriam retinentes, dedecus esse litteris non respondere, præcipue Principum, ac Prælatorum, & aliorum, quorum, cum omni reverentia, habenda est ratio.

#### DE AUDIENTIA A DIFFINITORIO praestanda.

§. VIII.

Postea Priors Conuentuum singulorum per ordinem vocari faciant. Ipsi verò Diffinitorio referant statum suorum Conuentuum, & quæ ad eorum Officium, iuxta regimen litterarum testimonialiū, spectare videbuntur. Neque enim volumus aliquem eorum, nomine sui Conuentus, quidquam à Diffinitorio postulare, absque Patrum sui Conuentus consenuit, litterarum testimonio roborato; nec etiam alicuius Fratris particularis nomine, quidquam petant, absque litteris clausis, vel apertis, propriâ manu prædicti Fratris signatis. Aduerrant autem Patres Diffinitoriij, ne alicuius petitioni satisfaciant, qui vocem actiua, vel pauciuarib[us] restitui petuerit; nisi in petitione prædicta, expressa fiat mentio, causa priuationis, & temporis, quo

fuit

fuit priuatus: quod obseruari etiam volumus, in quacumque alia petitione cuiuscumque p[re]sentia relaxandæ. Quilibet autem Prior relinquit in Diffinitorio catalogū omnium Fratrum sui Conuentus, cum titulis Officiorum, & Ordinum,

#### DE VISITATIONIBVS APERIENS. dis, ac legendis.

§. IX.

Postea Provincialis absolutus producat litteras, sive Acta suarum visitationum: quibus productis, facta Patri Præsidenti debita reverentia, Diffinitorium egreditur; non reversurus quoisque fuerit, iussu Patris Præsidentis, vocatus: quod si forte aliquis ex Prioribus ad Diffinitorium assumptus fuerit, idem omnino faciat: quando sui Conuentus legenda, & iudicanda fuerit visitatio. Lectis visitationibus, nomina Fratrum, qui ex causâ rationabili amouendi erunt, licet ipsi non petant, in quaterno aliquo scribantur, singuli sub titulo Conuentus, in quo fuerint, & cum causâ assignata. Deinde visitationes, & informatio[n]es quæcumque, coram omnibus, comburantur: exceptis illis, quas Diffinitoriom ad Capitulum Generale mittere indicauerit opportuni, vel ad Diffinitoriū similiiter Generale, aut ad alicuius correctionem, reseruare censuerit.

#### DE INSTITUTIONE PRIORVM. AC Socij Prioris Provincialis, Suppriorum, Magistrorum Novitiorum, & Sacristarum.

§. X.

Svbide verò ad institutionem Priorum localium, maturâ diligentia, procedatur; nam licet omnia maturè

A. 2

de-

*Parstertia*

debeant Pater Præsidens, & alijs Diffinitorij Patres determinare, specialem nihilominus, ac præcipuum diligētiam debent adhibere in institutione Priorum, quibus, ex Officio, animarum cura incumbit, quæ est ars artium, & scie-  
tia scientiarum: scientes nihil esse, quod Religioni magis officiat, quam quod ad curam animarum assumantur indigni: necesse enim est, vt tales sint familiae, quales eam existunt Priores.

Vt autem Fratres nostri maiori quiete, ac animorum tranquillitate Altissimo famulari possint, & à Conuentibus nostris similitates totaliter eradicentur, plenam, & omnimodam autoritatem, & potestatem eligendi quocumque Conuentum Superiora, in Patribus Diffinitorij in posterum collocata esse volumus, ordinamus, statui-  
mus, ac præsenti Cōstitutione, de facto, collocamus, p̄fici-  
pientes in virtute, & præcepto sanctæ obedientiæ quibuscumque Fratribus cuiuscumq; nostra Religionis Conuen-  
tus, vt electis sibi à predicto Diffinitorio Superioribus subiici, ac obedientiam præstare, nullo quaestio colore, re-  
cusent: secūs facientes à Conuento mutentur, & tanquam rebelles Religioni, & P.N. Vicario Generali, sine dispen-  
satione, puniantur.

Ad hoc autem, vt prædicti Patres Diffinitorij huismodo authoritatem, & potestatem, sine aliqua ambitionis nota, exercere liberè possint, stricte prohibemus; ne aliquis eorum eligi possit ad aliquod Officium, cuius prouisio ad Diffinitorum pertinet: sed inter alios Prouincia Patres Officia predicta distribuat, Dei timore, atq; Religionis honore, ante oculos proposito, semotoq; timore, odio, vel amore, cōcessa sibi potestate adeo modestè viētes, vt in Priores tales proficiant, qđ si sit bona fama, & quos etatis maturitas, & morum grauitas commendent, & qui sunt Ordinis Zelatores manifeste: & præter hoc

*Conf. Aug. Discal:*

litteris sacris eruditos, Piores constituant, maxime in nobilioribus Conuentibus: in minoribus autem ad minus circūspectos, & bonos. Prætereà nullum ad Officium Prioratus assumere audeant, qui communem vitam, & asperitatem Congregationis in viā, vestiu, lecto, ac sequela Chori, consuetu- nō potuerit: grauiter, super hoc, eorū conscientias onerantes.

Ad præcipuum verò domorum administrationem ne-  
mo assumatur, nisi prius, in alijs, Prioratus Officio, per ali-  
quod tempus, sanctus fuerit, & in eo laudabiliter se gesserit.  
Caveant denique Pater Præsidens, & Patres Diffinitorij, quorum communibus utilitatibus Prouincia, pro locoru exigentia, interest prouidere; ne Dci timore, ac Religionis amore (quod absit) postpositis, quos corrigerē deberet proficiant, & honorent; nevè deprimit, & conculcent, quos pro meritis, conueniret honorare; nec alia Officia ne-  
gligenda sunt: quæ omnia, nisi bonis committantur, confu-  
sio in Religione causetur, oportet: semper enim mali in op-  
positum nituntur bonorum: qui si viribus aucti fuerint, vt  
bonis prævaleant, actum erit de rebus Religionis. Ideo Pa-  
tres Diffinitorij diligentissimè animaduertant; ne aliquis improbus, vel obseruantia contraria, ad Officia quæcumque admittatur.

A delegationem igitur Priorum (quæ Feriā secundā post Primam semper fiet) antequam procedatur, iuret vñusquis que, quod in omnibus Prioribus, & alijs Officialibus eli-  
gēdis, eis semper suffragium suum dabit, quos ad huius mo-  
di munera subeunda magis idoneos in Domino senserit.

Postea Pater Præsidens, nominabit viuā voce vnum Patrem, quem expedire iudicauerit, & Vocales, qui sunt à dextris illius similiter nominabunt etiam singuli quemlibet voluerint: vt eorum vnu in Priorem pri-  
mi Conuentus eligatur. His ita propositis omnes

luffragia dabunt, per ballotulas, incipiendo ab antiquiori. Quod si nullus eorum fuerit electus, alios, simili modo, nominent ijdem Patres, quoque de Priore sit tali Conventui prouisum.

Idem facient pro secundo Conventu Pater Præsidens, & Vocales, qui fuerint à finistris eius, modo, & formâ superadixti. Deinde alternando finiantur electiones.

Sic similiter eligatur, & prouideatur Prouinciali de Socio maturo, & graui (qui iuramentum præstabit de summo secreto seruando) quem sine consenu Diffinitorū relinquare, vel mutare non poterit; nisi forrè in casu infirmatis: quē sc̄ū semper habeat, quādo actualiter visitauerit, vt scribat, que dixerint Fratres; cuius etiam prudenti consilio, cum necesse fuerit, vt possit: quique expedite valeat quibuscumque litteris de mandato Prioris Prouincialis, tanquam eius Secretarius, respondere, Registrumque Proninciae ordinare, utque in eo quæcumque notabili distinetè, & fideliter registrare.

Habeat magnum, & paruum sigillum Prouincie, ad sigillandas litteras, in formâ clausâ, vel aperiâ, scribatque minutim quidquid Prior Prouincialis ab eleemosynis Misericordiarum, vel aliund accepit, & quomodo expenderit, & poste cum ipso scripta conferat, ad reddendam rationem in Capitulo Prouinciali Iudicibus caularum, vt ipsi Diffinitorio referant.

Socius prædictus Prioris Prouincialis (qui immediatè ipsi subiectus semper erit) quoad fieri poterit, subditorum inter se, & cum Prouinciali, vñionem semper procuret, & inter eos, velut Angelus pacis incedat, & studium adhibeat, vt omnes Priorem Prouincialem ament, honorent atque reuerentur. In Conuentibus, primum, post Supprium, locum habebit. Subministrabuntur autem ei q̄omnia necessaria pro indumentis à Priore Prouinciali.

Eo-

Eodem modo, & ordine, eligentur Supprioř, Magistri Nouitiorum, & Sacrista singulorum Cōuentuum. De mū, qui de nouo ad Sacerdotiū, vel ad alios Sacros Ordines, ad audiendum confessiones facultarum, vel ad prædicandū, fuerint promouēdi, hoc loco, per ballotulas admittantur, nisi forte Patribus id concedendum Prouinciali existimauerint, prout superius ordinauimus.

## NOTAE.

**Q**uantum ad reelectiones in Congregatione nostra, dividenda est Constitutio Gregorij XV. per Vrbanum VIII. moderata.

## DE RECEPTIONE, ET PROVISIONE noui loci.

## §. XI.

Receptionem, & prouisionem noui loci Patres Diffinitorij in solo Prioris Prouincialis arbitrio non relinquent, immò p̄cipimus, vt nullus locus de nouo recipiat, absque Diffinitorij consilio, & assensu, & aliquorū etiam seniorum de Prouincia, & P.N. Vicarij Generalis, si commode fieri possit.

Nous autem Conuentibus prouideatur de Fratribus selectis, vt statim à principio, Religionis rigor inibi serueretur, & Ordinis bonus odor, & fama in illis partibus incipiat divulgari. De habitis quoq; nullus locus alibi, quam in ipso Capitulo Prouinciali, & de consensu majoris partis totius Capituli; & non aliter, quocumque prætextu relinquatur, aut mutetur; nec etiā hoc fiat absque consensu P.N. Vicarij Generalis, qui, vbi cūmq; ille sit, debet postulari, & in scriptis, de facto, obtineri.

Quæstam, in Prouincia, ita prudenter inter Conuentus dividant, & de eā ita modestè, & religiosè disponant, quod ex multitudine Fratrum petentium, nullum pos-

## Parstertia

posit scandalum generari; nec Fratres vniuersitatis Provinciae in libetibus alterius petat, absque licentia Provincialis illius Provinciae.

Locum etiam futuri Capituli celebrandi omnino determinant, & in quaterno scribant, aduertantque diligenter, ne quid diffinendum indeffinitum relinquant: quaterus omnibus ritè ordinatis, Provincia tota usque ad sequens Capitulum Provinciale quiescere valeat in sancta pace.

## NOTAE.

**Q**uoadfundationem, & erectionem novi Conuentus videnda, & seruanda erit Constitutio Clementis VIII. necnon Decreta de mandato eiusdem Clemensis, & Gregorii XV. que quidem obseruari præcepit Urbanus Papa VII.

DE ELECTIONE DIFFINITORVM, ET  
Discretorum Capituli Generalis.

## §. XII.

Si sequenti triennio Capitulum Generale nostræ Congregationis debeat celebrari, elegantur, post Diffinidores Provinciae, duo Diffinidores, & duo Discreti, qui pro illâ Provinciâ ad dictum Capitulum vadant. Elegantur autem non canonice, sed ille censeatur electus in Diffinitorum, vel Discretum Capituli Generalis, in quem plura suffragia conuerterint: cù declaratione, quod etiam poterunt eligi, qui sunt de corpore ipsius Diffinitorij Provincialis.

Quando autem, propter obitum Vicarii Generalis, siue ob aliquam aliam causam, extra tempus Capituli, electionem Diffinitorum, ac Discretorum fieri necesse fuerit, tunc similiter Prior Provincialis cum toto suo Diffinitorio ad huiusmodi electione conueniat, & stat, eo modo, quo sunt

Prio-

## Conf. Aug. Disca.

197

Priores in Capitulo Provinciali, cum declaratione, ut super.

Ad Diffinitorum munus, (si fieri possit) hi tantum elegantur, qui Officio Provincialatus functi iam aliquando fuerint. Cuperemus etiam, quod huiusmodi eligerentur, qui Generalis Capituli Diffinidores eatus non extiterint, habita etiam ratione antiquitatis; ita ut nemini, haec in parte, iniuria fieret. Discreti vero (etiam si fieri possit) qui sacra Theologia fuerint Leæores.

Ad Diffinitoris, aut Discreti Capituli Generalis, officium talis eligendus erit; qui non sit iuuenis in Ordine, sed saltim, per quindecim annos, in eo steterit; & qui nonquam cum scando ab Ordine apostatauerit; nec fuerit de aliquo virio notabili cœuiatus, vel confesus, sine satisfacione lœgi temporis, vel communiter infamatus; nisi se canonicâ purgatione purgauerit.

Postea, vel tunc immediatè, vel alia horâ, quæ videbitur opportuna, rē pulsata campanella, ut moris est, de culpis agatur: & primum Provincialis absolitus genibus flexis, dicat, & confiteatur culpas suas; cui iam Patres non asurgant: & Pater Præsidens condignam suis culpis iniungat ei pœnitentiam; quam ipse patienter acceperans, de osculata humiliter manu Patris Præsidentis, ad locum suum reuerratur.

Postea Priores, sigillatim dicentes suam culpam, Officio Prioratus in manibus Patris Præsidentis, sigillū presentantes, simpliciter renuntiabant: quæ sigilla Pater Præsidens acceptando, & eosdem ab Officio Prioratus absolueendo, dicar vnicuique.

Et ego, authoritate, quæ fungor, in hac parte, accepto renuntiationem tuam, & absoluo te ab Officio Prioratus Conuentus nostri N. In nomine Patris, **X** & Filii, & Spiritus Sancti, **Amen**.

Bb

Postea

## Parstertia

Postea, si aliquis Vocalium haberet dicere suam culpam, vel debet proclamatio particulari, id breuiter fiat. Deinde antiquior Priorum in medio prostratus, magna cum humilitate, nomine omnium Vocalium, & singulorum Fratrum totius Prouincie, culpam suam dicat, & ad locum reuertatur: interim vero omnes stent.

Pater Praesidens, iuxta culparum exigentiam, & nostrae Religionis Statuta, vniuersitate dicenti suam culpam, vel poenitentiam imponat, vel gratias referat sua bonae administrationis, omnibusque, pro communibus culpis, imponat Psalmum unum, statim communiter, genibus flexis, dicendum, dictoq; Aliutorum, &c. Capitulum culparum soluat.

## DE DIFFINITIONIBVS LEGENDIS.

## §. XIII.

**F**eria secunda, post Vesperas, vel horam, quæ Patri Praesidenti videbitur opportuna, capanella claustris tèr pulseretur, pro signo Capituli: ad quod signum omnes, tam Vocales, quam non Vocales, ad Capitulum conuenient: quibus cum gravitate confederibus, Pater Praesidens dicat. *Aliutorum, &c. Benedicite, &c.* Deinde hortetur omnes, ut dispositiones Capituli prompte, & simplici obediencia, absque illa contradictione, hilariter excipiant, & humiliiter, cum omni diligentia studeant adimplere: & statim legintur, alia, & intelligibili voce, ab uno Diffinitore. *In nomine Domini, &c.* prænotato etiam anno, mense, die, & loco, in quo celebratum est Capitulum, & quis fuerit Praesidens, & quis Provincialis electus, nominatisq; per ordinem omnibus, & singulis Diffinitorijs Patribus, & hoc super adiutorio, videatur. *Qui omnes unanimi cōfessi, authoritate eis à nostris Confirmationibus concessi ea, quæ sequuntur, statuerunt, ac publicè notificare mandarent.*

Tunc

## Conf. Agns. Disca.

Tunc legantur Diffinitiones: cum autem pronuntiatum fuerit, quæ Priorem constituerint Conuentus talis N. is qui nominatis se senserit, statim surgat, & coram Patre Praesidente genua in terrâ humiliiter flectat: cui Pater Praesidens sigillum illius Conventus tradens, ipsum in Officio Prioratus confirmabit, dicens,

*Erego, auctoritate, qua fungor, confirmo te in Priore, Conuentus nostri N. dans tibi omnem auctoritatem, & potestatem, quam ceteri Piores eiusdem Conventus habere solent, tam in spiritualibus, quam in temporalibus. In nomine Patris, + & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

Et Prior huiusmodi, de osculata manu Patri Praesidentis, sigillum accipiat, & ad locum suum reuertatur. Si autem Prior aliquis de novo non constitutus, sed in Officio, sicut ante erat, relinquitur, huic quidem Pater Praesidens tradat sigillum sui Conventus: non tamen eum confirmet; sicut ante ab Officio non absoluimus; prima namque confirmatione tenet, quo usque absoluatur.

Si vero Prior electus, non fuerit praesens, Prior propinquioris Conventus accipiat pro eo sigillum, & Pater Praesidens eum, licet absentem, in Prioratum confirmabit, dicendo.

*Erego, auctoritate, qua fungor, confirmo P. Fr. N. in Priorem, &c. dans ei, &c.*

In omnibus alijs Officijs, tam Suppriorum, quam Sacristarum, &c. publicatio habeatur pro confirmatione, absq; aliquo alia ceremonia.

Statutum insuper, vt si quis ad aliquod Officium Religionis exercendum promotus, & accitus; illud nulla rationabili causa impeditus subire contigerit, graniter puniatur. Si vero Prioratus Officium acceptare renuerit, sine causa praedicta, quam iudicare tenentur Prior Provincialis, & Diffinitores, ad Officium Provincialatum, yet Prioratus alicuius nobilioris Conventus de cetero inhabilis permaneat.

*Parstertia*

Deinde Pater Praesidens hortetur omnes Priores, qui statim, capitebus detextis, surgant, quatenus in moribus, ac regimine, iuxta nostrae Congregationis sanctas, ac laudabiles Constitutiones, & ordinationes, ac Provincie Diffinitiones, studeant esse, & inueniri, conformes.

*DE SIGILLIS PROVINCIARVM, AC  
Conuentuum.**S. XIV.*

**S**i gilla omnia Provinciarum nostrae Congregationis, tam magna, quam parva, & Conuentuum nostrorum habent expressam Imaginem illius Sancti, vel Sancte, cuius nomine Provincia nuncupatur, vel Conventus, cum circum circa scriptione, cuius Provinciae, vel Conventus sit.

Volumus autem, ac stricte præcipimus, ut quilibet Conuentus nostra Religionis proprium habeat sigillum. Prior vero, qui, vel ob negligētiā, vel incuriam, sigillū ad Capitulum Provinciale non portauerit, à Patre Praesidente debitē puniatur.

Pronuntietur locus Capituli Provincialis futuri: quo pronuntiato, dicat Pater Praesidens, alta voce.

*Reservamus nobis autoritatem, & potestatē determinandi, diffiniendi, batuendi, reformati, corrugandi, & emendandi; nec non mutandi, & confirmandi quæcumq; gesta sunt. quædiu nos, & Patres Diffinitorij, omnes sumus, quapropter volumus, & præcipimus, ut nulla Diffinitorum se possit, intra illud tempus, à loco Capituli, absentare.*

Ex tunc ad signum Patris Praesidentis, Cantores incipiunt Hymnum.

*Magne Pater Augustine  
Preces nostras suscipe, &c.*

*Quem*

*Conf. Aug Discal.*

Quem cantando Fratres bini, & bini, ut moris est, ad titulum inclinantes, in Ecclesiam vadat ordinatè, atque bini, & bini, ante maius Altare genuflexentes ad loca sua se conferant. Finito Hymno, Cantores dicant.

*Ver. Ora pro nobis B.P. Augustine. Alleluia.*

*Resp. Ut digni. &c.*

Pater Praesidens, in loco suo, dicat orationem.

*Adesto supplicationibus nostris Omnipotens Deus, &  
quibus fiduciam speranda peccatis indulges, intercedente  
B.P.N. Augustino Confessore tuo, atque Pontifice, con-  
fusa misericordiae tribue benignus effectum. Per Christum  
&c.*

*DE BENEFACITORVM RECOMMEN-  
datione**S. XV.*

**P**osteā sedeat Pater Praesidens, & cæteri post eum, & ipse dicat Benedicite, & respōlo ab omnibus Deus: habebatur Oratio (si fieri posset) in laudem nostra sacre Religionis. Conclusiones verò publicas, tam Philosophiæ, quam Theologiae, omnino in Capitulis nostris prohibemus. Postea commendentur Fratrum, tam presentium, quam absentium, Sacrificijs, & orationibus, primò Summus Pōtifex, pro tempore existens, deinde Eminentissimus Cardinalis Protector, & Episcopi Ordinarij illorum locorum in quibus Monasteria illius Provincie existunt; mox Hispaniarum Rex Catholicus. Specialis etiam eorum fiat mentio, qui particularibus auxilijs illam Provinciam prosequuntur. Specialia quoque, & notabilia beneficia, si quæ illo triennio contulerunt, fideliter referendo, iuxta informationem Priorum.

Deinde mentio fiat, in genere, Benefacrorum Provin-

## Pars tertia

uinciae, utriusque sexus, tam viorum, quam Defunctorum,  
& omnium Sacrificijs, & orationibus, commendentur.

Vltimo surgant omnes, & Pater Praesidens dicat,

Vers. Oremus pro Papa nostro N.

Resp. Dominus conseruat eum, & vivificet, &c.

Vers. Oremus pro Benefactoribus nostris viuis, atque defunctis: & prosequatur idem: Retribuere dignare,  
&c.

Resp. Amen.

Tunc Cantores incipiunt sine cantu. Psalm. Ad te leua  
ni oculos meos, &c. & Fratres prosequantur totum cum  
Gloria Patri, &c. Deinde Kyrie eleison, &c. Pater no-  
strer, &c. secreto: Postea Pater Praesidens. Et ne nos, &c.  
Vers. Domine exaudi, &c. Resp. Et clamor, &c.  
Vers. Dominus vobiscum, &c.

## ORE MVS.

**D**eus omnium Fidelium Pastor, & Rector, &c.  
Pretende Domine Fidelibus tuis, &c.

Deinde flexis genibus fiat confessio, & absolutio gene-  
ralis, secundum quod in Officijs nostri Ordinis contine-  
tur: quæfaçtio, Cantores cum cantu incipiunt Te Deum lau-  
damus, &c. & in fine Pater Praesidens, ante gradus Alta-  
ris, dicat.

Vers. Salu os fac seruos tuos.

Resp. Deus meus sperantes in te.

Vers. Mitte eis Domine auxilium de sancto.

Resp. Et de Sion tuere eos.

Vers. Domine exaudi, &c.

Resp. Et clamor, &c.

Vers. Dominus vobiscum, &c.

## ORE-

## Conf. Aug Dicab.

## ORE MVS.

**A**desto Domine supplicationibus nostris, & via fai-  
mulorum tuorum in salutis tuae prosperitate disponi-  
re inter omnes huius vite. & via varietates tuo semper  
protegantur auxilio. Per Christum, &c.

Deinde dicat cum cantu.

Adiutorium nostrum, &c. Benedicite, &c.

Postea verrat se ad Fratres, & det eis benedictionem,  
cum quæ soluat Capitulum dicens, in cantu.

Benedictio Dei Omnipotenti Patris, & Filii Iesu, &  
Spiritus & Sancti descendit super vos, & maneat semper  
Amen.

Ex tunc Fratres, Feria secunda post Vesperas: finitis om-  
nibus, recedant, & ad loca sua in nomine Domini nostri Ie-  
su Christi pergent.

QUID DE LITTERIS DIFFINITORIO  
delatis fieri debat.

## s. XVI.

**A**ntequam verò omnino Diffinitorium soluantur, litter-  
æ, quæ sunt Diffinitorio delatae, producantur in me-  
dium, inter quas, si fuerint aliquæ ad communum Prouin-  
ciale concorrentes, aut alias memoriam dignæ esse videan-  
tur, in Archivio Prouincie referuentur: reliqua autem om-  
nes comburantur.

Diffinitiones verò Capituli Prouincialis cum progrimo  
cōsilio, nomina Priorum Conveniūm, & Diffinitorum,  
ac Discretorū Capituli Generalis, & locus Capituli pro-  
xime celebrandi, fideleriter scribantur, & manu propria om-  
nium

*Pars tertia*

omnium Patrum Diffinitorij subscriptiuntur, & maiori eiusdem Provincie sigillo muniantur: ac deinde ad P.N. Vicarium Generalem (si Præsidens in Capitulo non fuerit) vt ab ipso, si visum sibi fuerit, confirmentur, mitrantur, quam ciuitus fieri possit.

**D E LITTERIS PATRIS PRE ASIDENS**  
tis, quas singuli Priores ad suos Conuentus portare debent.

## §. XVII.

Priores vero, vel iij, qui sigilla Conuentuum de manu Patris Præsidentis receperunt, antequam à loco celebrati Capituli recedant, litteras habeant à Patre Præsidete in formâ patente, manus propria eiusdem subscriptio-ne, ac sigilli maioris Provinciæ impressione munitas: in quibus ut proemium cõfuerum: & omnes diffinitiones in eodem Capitulo factæ, & prouisa ipsius Conventus de Priori, Suppiori, & Sacrâ: quâs, postquam ad Conuentum peraenerint, eadem die, Supprior, vel Vicarius, triennij præteriti, congregato Capitulo, legi faciat, & lectâ institutione Prioris, cum ad titulum Capituli, si fuerit præfens, deducat, & manum ei in signum obedientiæ, & reverentia ipse Supprior, vel Vicarius, ac subinde cæteri omnes ordinatæ deosculabutur, omniesque, & singuli, Officiales Conventus claves in manibus eius consignabunt. Si autem non fuerit prælens, idem fieri, quando ipse peruenierit ad Conuentum: sine quibus litteris lectis, & publicatis, nullus pro Priore in aliquo Conventu recognoscatur.

*Conf. Aug. Discal.*

**D E S T R I C T I O R I D O M O I N V N A.**  
quaque Provincia.

## CAPUT VNDECIMVM.

**V**T quilibet Prior Provincialis sciat quantam vigilatiam interponere debeat in augmento, & conservatione Domus, qua Deserto apud nos cognominatur: id cōstatim post Capituli Provincialis fieri, illius Statuta, & Leges apponere decreuimus, vt mox ac sua Officiū exercere incipiat, agnoscat se in illatum indemni obseruatōne magnopere obligatum: siquidem occulta quodam Sacra Religio nostra in speluncis, & cavernis terra, in Eremitis abstrusis splendorem humilis, vt soli Deo viueret, qui, post multa saecula, eam manifestare decreuit, vt animatum saluti quoque insisteret.

Propter hoc ergo altissimum principium, & dignissimam memoriam, opere prerium iudicamus, & mandamus, ad perpetuam recordationem, & reverentiam; nec non imitationem nostrorum Priscorum Patrum, vt in quilibet nostra Congregatione Provincia, deputetur Conventus unus, remotus à populis, in terra aspera, & invia locatus; non vero in aquosa, intra cuius septam (que tam in latitudinem, quam in longitudinem, quantum fieri possit, extendatur) silva sit densis arboribus, ex una parte confita, ex alterâ vero, aliqua vinea, & simili-  
liter pomarium.

In toto spatio, diuisim, & proportionaliter, fundetur Eremitorii: cuius cellulæ rudi opere, in sublimioribus, ac Ianoribus locis extruantur: & earum quilibet tribus parvulis diuerforijs tantum constet: scilicet, pro Oratorio, pro dormitorio, & pro coquina; ac non

longè ab illâ sit hortulus, ad exercitium habitantium ibi. Segetes quæcumque nunquam in his locis permittantur; ne solitudinis quies transeat in tumultum, & curam prædiorum.

Negotium sit solum cum Deo: vnde Eremitæ nostri vacabunt orationi, pro bono communii Ecclesie, Regni, & Religionis nostra: quapropter, præter duas cōmunes orationis mentalis horas, post Missam Conuentualem, per quartam partem horæ administrūs, perque similem aliam de nocte, post Antiphonam, *Natiuitas tua, &c.* conuentualiter in spiritu orient. Reliquo autem tempore, curerit (quoad fieri poslit) ut mens sit in iugis vigiliâ, & præsentia Dei, ac mortui facient Mondo; vii non sibi vivant, sed illi, qui pro omnibus mortuus est.

Officium Diuinum conuentualiter in Choro, vel Ecclesiâ ab omnibus, summa cum devotione, ac pausâ, sine canitu perfoluatur, tempore pro alijs Conuentibus assignato. In Vigiliâ verò Natiuitatis Domini, Prima cū cantu perfoluatur. Tertia similiter in Dominicâ Pentecostes, & Nona in die Ascensionis Domini, Missa Cōuentualis semper deuotissimè canetur.

In Missâ autem Conuentualis prædictæ celebratione, Sacerdos, Diacono, & Subdiacono; nisi in Officijs Hebdomadæ Sanctæ, non vratura.

Vesperæ solum cantentur in Natiuitate, & Circumciſione Domini, in Dominicâ Resurrectionis, & in Ascensio- ne eiusdem, in Dominicâ Pentecostes, in Festo Corporis Christi, in Natiuitate, Annuntiatione, Purificatione, & Assumptione B. Marie Virginis, in Festo S.P.N. Augustini, & Titularis Conuentus: quod intelligendum est tantum de primis.

Maturum similiter cantetur in Natiuitate Domini, in Dominicâ Resurrectionis, & Pentecostes, in Assumptione

B.M.

B. Marie Virginis, in Festo S.P.N. Augustini, & Titularis Conuentus. Similiter quotidie Antiphona *Natiuitas tua, &c.* & Sabbath Salve Regina, maximâ deuotione, cum cantu, perfoluatur.

In Feriâ quartâ Cinerum, & totâ Hebdomadâ Sanctâ, Officium celebreatur, sicut in alijs Conuentibus: ac in die Purificationis B. Marie Virginis, canetur etiam benedictio Candelarû, & fiat processio: quæ similiter debet fieri in Festo Corporis Christi: per cuius totam Octauâ, ad Maturinum, & Missam Conuentualem, pateat Sanctissimum Sacramentum. In Festo verò S. Marci, & tribus diebus, antè Ascensionem Domini, Litaniæ recitatuntur post Maturinum, & processio nunquam fieri.

Cum verò prædicta Domus præcipue orationis sit, operet, abstineri in ea à colloquijs, non solum cum extraneis, sed etiam inter ipsos Fratres, maximè de rebus inutilibus; & de his, quæ mentem non erigunt ad Deum. Omnia ergo tempore, ac loco, in his Conuentibus seruetur silentium; nec licet Fratribus, absq; expressâ licetia Superioris, sermonem cōferre cum aliquo; nisi tempore collationis spiritualis, aut quando post refactionem corporalem, omnes simul, dilatandi animi gratia, ad id conueniunt. Ex rationabili verò causâ, aliquando poterit Prior concedere, quod Fratres inter se loquantur, sed cum secularibus raro, etiam si propinquî, & notifuerint.

Religiōsi pro istâ Domo deputati (qui nequaquam invitati debent ponî, nec protervi, aut aliquâ culpa gravati, sive vitio quolibet notati) extrâ Brēnum nunquam poterunt exire; nec etiam Prior; nisi eadē die reversurus, & hoc de Patrum Consilij assensu. Ultra tres verò dies abesse, si ne Prioris Provincialis licentia, in scriptis, minimè quidē faciat.

VI. autem hoc semper, & ubique possit obseruari, si

Cc 2

ali-

aliquos exire necessarium fuerit, ordinamus, & mandamus, quod in hac Domo, duo Prædicatores assignentur, & tandem Eleemosynarij: ut illorum bonum Dei annuntient, per opida conuicinia, & confessiones audiant, ac isti de eleemosynis, iuxta exigentiam Conuentus, benè curent: qui omnes in separata parte Conuentus (ut sibi possit) simul habent; ne in eundo, aut redeundo, alijs in suauis silentio manentibus, molestiam exhibeant aliqualem.

In hac Domo, secularis nullus; nisi propter inevitabilem causam, pernoctet, vel nisi Persona sic tanta autoritatis; ut ipius votum non annuere, indecōrum esset. Hoc autem in domicilio aliquo, à Conuento prorsus remoto, permittatur: in cella enim, vel quouis loco alio Conuentus, nisi de licentia prioris Provincialis, numquam admitti poterit, quicumque sit Hospes, etiam propter parum tempus. In Refectorio similiter nullus possit comedere, sed in dicto domicilio, ubi apte, & decenter ministriari venientibus curretur; nisi forte Persona sit Ecclesiastica, aut magna autoritatis: unde namque in ipso Refectorio poterit comedere; dummodo non sit immensa, quam secundam nos vocamus. Recreationalis autem, vel venationis causa, accedere ad dictam Eremum nulliuscumque sit conditionis permittatur; ne Dominus pœnitentia, & luctus, in nemus deliciarum Mundanarum irate secat.

Concursus mulierum ibidem permittatur: dum deuotionis causa, confessionis, vel facie Communionis, accedere voluerint. Decerimus tamen; ut intra Ecclesiam non admittantur nisi in die Nativitatis Domini, in Feria quintā, & sextā Hebdomadæ Sanctæ, in Dominica Resurrectionis, & Pentecostes, in Festinatibus Concepcionis, Nativitatis, & Assumptionis Beatae Mariae Virginis, in

Festo,

Festo Sancti Patris Nostri Augustini, Sanctæ Matris Monice, Sancti Nicolai de Tolentino, & Titularis Conuentus. Alio verò tempore, nequaquam illi concedatur, quantumvis magna sit autoritatis; nisi de licentia, in scriptis, Prioris Provincialis: quapropter, ut accidentibus Sacraenta administrentur, sub Choro sic clavum (vulgo Rex a madera) vnde quemadmodum, & clavum, ac in eo fenestellæ duc, utroque latere, decenter ornata, ex quibus Sanctissimum Eucharistia Sacraementum cuicunque confatur, & similiter, ex parte Monasterij duo sicut confessionaria, Ecclesie sub Choro correspondentia, ad mulierum audiendas confessiones, in quibus; & non alibi, Sacraementum Pœnitentiae perficiatur.

In hac Domo, tam in communi, quam in particulari, omnia utensilia paupertatem indicent, prout emitas decet. Queverò cultui Divino fuerint destinata, munda, & honesta sint; non tamē, pretiosa: vnde paramenta Altaris, argento, vel auro, intexta non sint, sed solum lancea, & ad summum serica. Calices, & quacumque sacra vasā, argentea, permittimus: in his enim nihil superfluum, aut excēdēt, iudicamus.

Quantum ad victimam, Fratres, qui in Monasterio degunt, ratione ieiunij, vel comeditionis carnium, Geat in ceteris Congregationis Conuentibus se habeant.

Qui in cellulis, apud Eremitorum, exoptauerint manere, asperioris vita audi, obrentia prius licentia Prioris (qui probato spiritu, an ex Deo sit, debet concedere,) & accepta eius benedictione, discedant, & solitarij penitus Mondo, propensius æterna appetere procūreri: Officium Divinum, tam diuinum, quam nocturnum, horis in Con-

Conuentu consuetis, deuotissimè persolvant: & quando eius cymbalum, tām de die, quā de nocte, ad horas Canonicas pulsatur, omni cum vigilantia, cāpanella Eremitorij similiter pulsentur. Sacerdotes quotidie Missam celebrent morosius, quām alij, se inuicem ministrantes, & inter se nullo modo sermonem conferant, sed finitā Missā vnuquisque in suam cellulam secedat.

Carnem, oua pisces, vel pitantiam aliquam, non comedant, sed tantum panis, vinum, & olera, cum aceto, & oleo (quē ipsi in cellulā camīno coquent) concedātur: & frutex iuxta occursens tempus. Exercitio manuum, post vesperas, dare operam nō desinant, in loco tamē suō quilibet seorsim.

In principalioribus festis, adire Conuētū, non negetur, & ibi interest à primis Vesperis, vsque ad secundas diei, ac præterea Dominicis diebus Missā in Conuētū celebrare, ibique manere, quousque, ante orationem mētalem serotinam, in loco decenti congregati, dīcto *Adiutorium nostrum, &c.* accipiant à Priorē benedictionē, præmisso aliquo sermone breui, & exhortatorio ad virtutes amplectandas, passiones edomandas, eradicanda vita, & in particulari ad exercēdam aliquam virtutem in Hebdomadā illā. Ante, vel post, inquirat Prior de prouentu in virtute, quām insequi, Hebdomadā præteritā, elegerunt: & tādem vnuquisque propriōs, humiliter, defectus fateatur.

In Aduentu, & Quadragesimā, qui prædictis cellulis morantur, nisi occurrente festo primæ classis ad Conuētū nō veniant. A vigiliā verò Nativitatis Domini vsque ad Epiphaniam inclusuē, & à Dominicā, in Palmis, vsque ad Dominicā in Albis, & à Dominicā Pentecostes vsque ad Exaltationē Sancte Crucis, in Conuentu omnes maneat, & cellulæ claudantur.

Temp-

Tempore, quo Fratres Eremitorium coluerint, Prior curam habeat inuisendi eos, ad minūs semel in septimanā, vt tām in spiritualibus, quām in temporalibus charitativē necessaria illis prouideat: nullā verò de causā, extrahere à prædicto loco eos, aliquomodo præsumat.

Vt autem ardor Spiritus, & feroer deuotionis in dies, apud nos, vt oportet, angeatur: hortamur Fratres omnes aliorum Conuentuum habitatores, tām Prałatos, quām subditos, vt singulis annis, intensius spiritualibus exercitijs, per Hebdomadā vnam, vacent: & qui huinsmodi occupati fuerint, ab omni curā, & Officio, liberos esse volunt, vt die, nocte que, in cellā, sive solitario loco (qui vulgo dicitur *Ermīta*) orationē mentali prolixius insistant. Hę autem solitariae habitationes in quolibet Monasterio vbi commōdē fieri posset extruantur; & nulli particulari usui applicentur: si forte, in horto Conuentus, reperiēntur, eo modo, quo in Ecclēsia, disponentur, & cymbalum parvulum habeant, quo ipsa signa, quę in Conuentu pro canoniciis horis solent fieri, solitarius Frater quoque faciat, qui toto illo tempore, quo in tali solitudine permanferit, alteri non alloquatur; nec illinc aliquā de causā egreditur.

#### *DE CONGRĒGATIONE IN MEDIO triennij celebranda.*

#### *CAPVT DVODECIMVM.*

**I**N unaquaque Prouincia nostrae Religionis in medio triennij, & in loco per Priorē Prouinciale assignādo, Congregatio Prouincialis celebrabitur, vt aliquibus negotijs, & casib⁹, ac necessitatibus, commodius prouideri possit.

Ad

Ad huiusmodi Congregationem solummodo conuenient illi septem Patres, qui in Capitulo Provinciali fuerunt de corpore Diffinitorij. Quare si P. N. Vicarius Generalis ad eis non potuerit, vel in Provincijs Indianum Praesidentem designauerit: tunc nomine quicquam, vt eius vices suppleat, in Hispania, posse non est dubium, vel ipsum Praesidetem in Indijs debere interuenire: sed tanquam vous ex Diffinitoribus, & in loco sibi competenti sedere, & ad proposita respondere. Prior autem Provincialis (si P. N. Vicarius Generalis, vt praefertur non adfuerit) Praesidentis Officio fungetur in omnibus.

Quod si huiusmodi Pater, qui Praesidens fuit in Indijs, diem suum obseruit, vel quocumque alio ligitimo impedimento impeditus fuerit, quominus possit ad locum Congregationis venire, priorem, ex superstitionibus, qui Diffinidores fuerunt præteriti triennij (qui tam in illo præteriti triennio non sit de corpore Diffinitorij, in quo casu, alias qui sequeatur erit asseverandus) Prior Provincialis aduocabit, qui in illius locu succedat. Cum autem Diffinidores prædicti triennij mortui fuerint, vel alias quomodo libet detentis, tunc ad alios Diffinidores alterius immediate triennij sic elapsi recurvarunt, & antiquior illorum, similiter non impeditus, assumatur.

Si vero Prior Provincialis absolutus, mortuus, vel impeditus ligitimi fuerit, ille eius loco substituatur, qui ante ipsum Provinciali gubernauit, proximo præcedenti triennio. Eo etiam deficiente retrocedatur, quo usque de aliquo, qui iam fuerit Provincialis prouideatur: & omnibus deficientibus, Prior in cuius Conventu celebratur Congregatio substituatur.

Numerus autem Diffinitorum perfici, & suppleri possit: si aliquis eorum, quavis ex causa defecerit, ex his Patribus, qui post ipsos Diffinidores plures voces habuerunt.

Ex

Ex his autem ille, qui plures alio voces habuit, primò assumatur, & aggregetur: quatenus ista Congregatio Provincialis, septem Patronum numero integretur; ad quas nemo venire audeat, absque speciali Prioris Provincialis licentia, in scriptis obtenta: contra verò faciens, non audiatur, immò pro suā temeritate puniatur, prout dictū est de his, qui sine licentiā prædictā ad Comitia Provincialia accedere audent.

Hec verò Congregatio eamdem habeat autoritatem, quam habet Diffinitorij Capituli Provincialis; nisi quod in ea nouæ leges, vel Diffinitiones, pro totâ Provincia minimè condantur. Has enim solum in Capitulo Provinciali fieri volumus.

In hac Congregatione, sicut in Diffinitorio Capituli Provincialis omnino procedatur, iuxta Constitutiones nostræ Religionis.

In Vigiliâ ergo Omnia Sanctorum (prout mos est in Provincijs Hispaniarum, alijs autem in medio similiter triennij) Prior Provincialis, post Primam, devote Missâ de Spiritu Sancto cantabit, sine Credo, cum duabus tam Collectis, una B. Mariæ Virginis, & aliâ Sancti Patris Nostri Augustini: & omnes de corpore Congregatio- nis, ipsâ die, de Spiritu Sancto Missam celebra- bunt.

In omnibus etiam Conuentibus Provinciali, cùdám die, post Primam, Missâ de Spiritu Sancto similiter cantabis- tur. Deinde ad negotia expedienda, diligenter, & maturè proce- datur.



DE INSTITUTIONE PRIORVM ; ET  
aliorum Officialium extra Capitulum Prouinciale.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

**S**i post Capitulum Prouinciale, Priorem alicuius Conuentus, ex hac luce migrare, vel quavis alia ex causâ, Officio priuari, seu absoluvi, contigerit (quam quidem ab solutionem Prior Prouincialis facere non poterit, sine cōfensu Diffinitorum) Supprior, vel (si dictus Conuentus non haberetur Suppriorum), antiquior ex Patribus, qui in ordine gradus; non verò professionis, primum locū habuerit: videlicet, si aliquando Prouincialis munere fessus fuerit, vel a qualiter Diffinitor extiterit, Conuentum huiusmodi gubernet, dummodo inhabilis non sit, propter aliquam causam: quousque Prouincialis (de consensu etiam suorum Diffinitorum) de Vicario prouideat, qui debeat gubernare, usque ad Congregationem (si ante illatē Officium vacauerit) in qua nouus Vicarius Prior, usque ad Capitulum Prouinciale eligendus erit.

**S**i post Congregationem, Prioratus etiam aliquis vacauerit, eodem modo, Prior Prouincialis, cum debiro consensu suorum Diffinitorum, de Vicario prouidebit: qui in Capitulo Prouinciali, sicut cæteri Priores, vocem habebit.

**S**imiliter, si post dictam Congregationem Prior Prouincialis Priorem aliquem ab Officio suspenderit, & demum in Capitulo priuato absolutus fuerit, de Vicario prouidebit non poterit, absq; consensu Patrium Diffinitorum.

**S**i autem alia Officia Conuentuum, antē Congregationem, vacauerint, prouidebit dictus Prouincialis, usque ad tempus Congregationis: si verò vacauerint post Con-

gre-

gregationem, ipse etiam prouidebit, usque ad Capitulum Prouinciale.

DE CAPITVLO PRIVATO.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

**C**apitulum priuatum appellamus, quando cumque, & quotiescumque Prior Prouincialis, extrā ipsum Capituli, vel Congregationis, Diffinidores illius triennij in unum congregat, ad aliquid determinandum, & prouideendum: quod quidem facere ipse potest, quoties sibi videbitur expedire: immo in aliisque casibus, ut patet ex Constitutionibus, tenetur.

Quod si in trienniū, unum, vel duos, ex quatuor Diffinitoribus praedictis, diem suum obire contigerit, vel aliquo ineuitabili impedimento impediti fuerint, sufficit, quod Prior Prouincialis alios tres, vel duos, qui remanserint, ad determinandum necessaria, cōuocari faciat. Si vero tertius, ē vita migrasset, vel simili aliquo impedimento impeditus fuisset, vocabitur ad privata consilia, ynus ex his Patribus, qui plures voces habuit, post Diffinidores, si ne additus fuit in praecedenti Capitulo Prouinciali: ita ut semper hoc priuatum Capitulum, ex duobus Patribus ad minus, præter Prouinciale, constet.

Ut autem praedictus Prior Prouincialis Diffinitorū consilio, facilius vti posset, in Comitijs Prouincialibus, vel simul in eodem Conventu collocabuntur, vel in diversis, parum tamen distantibus, ob expellas vitandas, & faciliterem commodiitatem congregandi.

Nunquā Prior Prouincialis aliquid determinabit, Diffinidores per litteras consulendo, sed len per Capitulum priuatum congregabit: quādo gravis & vigens castis cōsi-

lium eorum poposcerit: si tamen aliquando periculum fuerit in mora, & Prior Provincialis à Diffinitoribus longe distauerit, poterit loco sui aliquem grauem Patrem in praedicto casu subrogare: qui similiter cum Diffinitoribus prædictis, super ea tantum re, prouideat, sicut ipse fecisset, si prælens fuisset.

In hoc Capitulo priuato, poterunt hi supradicti Partes Priorem Officio priuare; non tamen per duos menses, ante tempus Capituli Provincialis. Poterunt etiam licetias ad prædicandum, & ad confessiones audiendas dare; non tamen poterunt fententias, vel determinationes Capituli, vel Congregationis Provincialis mutare, vel alterare; nec super pœnitentij ibidem iunctis dispensare; nec Diffinitiones nouas condere; nec Priors instituere. Præter hæc omnia, etiam facere poterunt, quæ in his Constitutionibus eis commissa fuerint.

**D E OFFICIO, E T A UTHORITATE**  
Prioris Provincialis, & pro quibus cassibus possit priuari.

### CAPUT DECIMVM QVINTVM.

Priori Provinciali (salvo semper mandato, & reuerentia P. N. Vicarij Generalis) Piores, & Fratres omnes suæ Provinciæ, tamquam Patri, & Pastori promptè obediunt, & debitam subiectionem, ac reuerentiam, cum humilitate, ubique locorum exhibeant. Qui verò Priori Provinciali obedere recusaverit, & in ipsa inobedientia obstinatus, per diem, & noctem, permanenter, ultra pronaam impossumus eis, qui Priori suo per diem, & noctem inobedientes extiterint: quæ omnia subire debet, per annum voce caput. Ipse verò in principio sui regiminis, cum timore, &

UIC-

termore incedat: quoque magis per experientiam, quam per aliam sapientiam, sit edocere.

In primis diligenter legat, & notet, quæ de Officio P. N. Vicarij Generalis scripta sunt, & quæ sibi competunt, secundum suum Officium, pere adimplere non desinat. Ante omnia autem sollicitè procurare debet, ut in omnibus Conuentibus Diuinum Officium, diurnum pariter, & nocturnum, reverenter, & devote dicatur, iuxta Ordinariū nostrā Congregationis. Regulam, Constitutions, & Acta Capitalium, atque Ordinariorum secum portare, & frequenter legere, debet: vt ea in primis seruet, deinde ceteros, ad illorum obseruationem, verbo, & exemplo, efficaciter inducat: legem enim, quam Praelatus non didicit obsecuare; & frequentius nō legit, nō potest sine iubore, & errore alios edocere.

Prior Provincialis totius Provincie curam gerat; nō tamen alicuius Conuentus possit esse Conuentualis Prior. Ad Officium eius pertinet Conuentus omnes sue Provincie, bis in triennio, intra duos primos annos, personaliter visitare: & in eis corrigeret, ac reformaret, quæ secundum Regulam S. P. N. Augustini, & Constitutions, ac ordinationes nostra Cōgregationis, ac Diffinitiones, tam generalis Capituli, quam sua Provincia, inuenierit corrigenda, ac reformanda. Nihil tamen poterit Prior Provincialis praecipere toti Provincie, sub pena saeva obediēt, vel excommunicationis; nisi de consilio, & assensu Diffinitorum.

Errata etiam Fratrum, vel Conuentuum aliquorum, absque rationabili, & necessaria causa, nūquam debet alijs recitare. Episcopos, & Dominos locorum, & alios principes amicos Ordinis, visitare debet. Cum Fratribus Officijs Diuinis, & refectio interesse laboret, ut illorum modum viuendi melius consideret, & perscrutetur.

Prio-

### Pars tertia

Priores Monasteriorum sua Provinciarum potest ipse per se suspendere ab Officio; inferiores autem Officiales defacto priuare, si casus emergerit: Prior tamē suspensus in Capitulo Provinciali vocem habebit, nisi Pater Praesidēs cum Iudicibus causarum cum priuatione dignum indicauebit.

Moneat Fratres ad Dei amorem, & timorem, & ad proximum charitatem, ad trium votorum obseruantiam, ad humiliatorem, patientiam, & alias virtutes: cum sacerdotalibus, & Religiosis, maximē alterius Ordinis, modestè loqui, & eisdem honorem, & reverentiam debitam exhibere, accūm eis pacem habere: domi, forisque ita modestè incedere, & stare: vt in incessu, statu, habitu, & in omnibus motibus suis, nihil fiat, quod cœus, quam offendat aspectū, sed quod eorum deceat sanctitatem, & quantum fieri potest, operam det, vt omnes in pace, & consolatione, relinquant.

Querelas Fratrum patienter audiat, & discretae: si opus fuerit, in eis prouideat. Qui tamen nullus querelam facere audeat, nisi propter defectum Prioris Conventualis: alias non solum non audiantur, sed etiam corripiantur querelas facientes.

Facta visitatione omnium Conuentuum, in aliquo commodiori loco se māsurum constitutus, vt sciant Fratres Provinciarum, ubi eum inuenire possint, si causa eum requirendi contigerit. Si tamen Fratres ad se venire, pro leui causa, cognoverit, sic venientes puniat, vt alij arrecentur. Volamus enim ut discursus Fratrum pro viribus restrinatur; nec permittrat eos discurrere, propter negotia, quæ possunt per litteras expediri, Fratres de loco ad locum mutare; nisi pro manifesta necessitate, vel rationabili causa. Provincialis non debet, maximē quoque de statu Provinciarum, Conuictuum, & Fratrum notitiam habeat pleniorē,

Per-

### Conf. Aug Discal.

Perturbatores Conuentuum alibi transferre, & colligationes in malum per dispersionem dissoluere, & quantum fieri licet, seruaro charitatis ordine, conditiones eorum Prioribus, ad quos mittuntur, notificare debet. Fratrem tamen nullum per mensum, ante Capitulum Provincialē, de loco ad locum mutare poterit, pro Conventuali; nisi alias notabile scandalum Religioni, vel Conventui redundaret.

Apostatas suos Provincialis, infra sex menses, à die commissari apostasiae, saluā Ordinis disciplinā, recipere poterit; ultra verò istum terminum, eorum receptio ad P. N. Vicarium Generalem pertinet, & similiter, si Apostata ex alia Provincia venerit. Declaramus autē posse, immō potius debere, quemcumq; huiusmodi Apostatam retinere, non verò absoluere, quoque ipsum P. N. Vicariū Generalem certiore faciat. Excipimus ramen Provincialē Indiarum, qui recipere poterunt Apostatas, infra quodcumque tempus à die commissari apostasiae.

Provincialis de cuius prouidentiā, & fidelitate Religio confisa administrationem, & regimen Provinciarum sua discretioni committit, summopere studeat nouis Monasterijs erigendis (seruatis tamen Constitutionibus Clementis VIII. Gregorij XV. & Urbani VIII.) præsertim in ciuitatibus nobilioribus, vel que commode esse videantur Fratribus itinerantibus. Ad promotionem etiam eorum, quæ iam habentur, sollicitè, & incessanter, laborare debet, & ad hoc pro posse Priores, & alios Fratres instanter inducere. Conuentus autem pauperes, & remotores magis debet habere cordi, & plus cauere ab eorum grauamine, eisque semper subuenire, in quibus potuerit, & ad subuenientium dum eis, Conuentus alios, & Fratres horrari, eisque frequētus per litteras consolari.

Religio itaque experiatur opere, quibus Provincias Con-

*Pars tertia*

Coogregationis ampliandas, & augmentandas, confidenter committere possit, & debet. Remouendi enim omnino ab administratione Officij sunt illi, quorum opera Religio nostra nullum suscipit incrementum, nec in spirituibus; nec in temporalibus.

Ad Familiarum dispositionem, & Fratrum mutationem, cum sanâ maturitate, & cum charitate procedat, & vnicuique Cōuentui Prouinciae, quoad fieri possit, de numero, & idoneitate Fratrum prouideat respiciue, prout statuit Prouincia, & Fratrum saluti, & consolationi, secundum Deum, viderit expedire.

Is verò tantummodo numerus constituantur, & cōserueruntur, qui ex cōsuetis elemosynis Fidelium commodè possit sustentari; nec in uno Conventu omnes habiles, & utiles: in alio verò omnes inhabiles, & inutiles Fratres collectentur.

Nominabit quoque, de consensu Diffinitorum, pro maioriibus Conuentibus quatuor, pro minoribus verò, duos Patres Deputatos, ad negotiâ Conuentuum, cum Officiis, & alijs tractanda: & licet Conuentus aliquis sit ingenis, & nobilis; non proinde maior numerus Patrum requiratur, sed prædicti sufficiant.

Ad Capitulum Generale, cum illis tantum, qui de sua Prouincia electi fuerint: vt ad ipsum Capitulum vadant, ibit: nulli alteri eundi ad memoratum Capitulum licentia concedere possit. Et quando ad præfatum Capitulum iuenerit, vel alias extrâ Prouinciam cum ire contigerit (quod inconsultis Diffinitoribus, & absque corum consensu facere non debet) Patrem aliquem discretum, & expertum, ac in sacris litteris saltem medioctiter eruditum (de ipsorum, etiam consensu), in Prouincia Vicarium relinquit; alias nullam habeat autoritatem Vicarium in totâ Prouincia, vel qualibet eius parte, statuendi; nisi de speciali licentia

*Conf. Aug. Disca.*

Patris Nostri Vicarij Generalis. Excipimus tamen Provincias Indiarum, in quibus, propter magnâ Conuentus distantiam, pro qualibet parte Prouinciae, ab eo fieri posse declaramus.

Si autem extrâ Prouincia suam iverit; quod facere pro levi causâ non debet; moram ultra quindecim dies non contrahat; nisi negotium, pro quo ire contigerit, tam arduum esset, ut sine magno Prouinciae periculo relinquiri, vel alteri committi; non possit.

Excessus vero, pro quibus Prouincialis poterit absoluui, sunt isti: videlicet: si postposito Dei timore irreligiosè viuit, vel apud Fratres, seu laeculares, de aliquo notabili virtute est infamatus: si Constitutiones, & laudabiles ordinationes, sive Diffinitiones Religionis, vel Prouincia, per Prouinciam, securare non facit; transgressores scilicet non corriguntur; nec Conuentus ad eorum obseruationem horrando, & monendo, vel si probatos, manifestos, graues, & enormes Fratru excessus, secundu Religionis Statuta, non corrigit: si munera, & dona non commisibilia; nec parvi momenti, à Fratre aliquo, vel Conventu, seu à Communitate Prouinciae, aut ab aliquâ alia Personâ, eius, vel eoru nomine, per se, vel per interpositâ Personâ, receperit: que omnis postea Communitatâ Prouincie restituere cōpellatur: hoc addito, vt si per simoniam, aut propter aliquâ dissimulationem, vel palliationem alicuius culpe, compertu fuerit, aliquid accepisse, grauius puniatur à P. N. Vicario Generali, cum suo Diffinitorio.

Si verò contigerit, ipsum Priorem Prouinciale, antè tempus suæ administrationis expletum, ex hac vitâ discedere, aut aliquo quocumque impedimentoo ita detineri; vt nō possit Prouincialatus Officium exercere: ad illius Praedecessorem immediatum in Prouincialatus Officio, & eo deficiente ad illi proximum, omnibus verò deficien-

tibus Prouincialibus absolutis , ad primum Diffinitorem Capituli proximè præteriti . Quid si nullus illorum inueniretur , ad primum Priorem in ordine Conuentum regimen Prouinciae pleno iure pertineat , vsque ad impedimentum prædicti cœfationem , vel noui Prouincialis electionem : quæ suo tempore fiet ; nisi Pater noster Vicarius Generalis aliter disposuerit : interim tamen Rector Provincie ; & non Prouincialis vocabitur . Si autem tunc instaret tempus Generalis Capituli , in quo debeat P. N. Vicarij Generalis electio celebrari , ipse Rector Provincie ad dictum Capitulum ibit , vocem tanquam Prouincialis in omnibus habiturus .

**D E F O R M A V I S I T A T I O N I S P R O-**  
uincialis Prioris , & quomodo procedere debeat in in-  
dicij .

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

PRIOR Prouincialis vniuersusque Prouinciae , cum omni diligentia , maturitate , & æquitate , commissum sibi Officium studeat exercere : quapropter statuimus , vt in suo triennio , infra duos primos annos , totam suam Prouinciam personaliter , in scripta formâ , visitare te-  
neatur : sollicitè cauens ; ne alios visitando quidquam fa-  
ciat , vel omittat , quod postea in eis congrua animadver-  
sione veniat corrigendum .

Duobus diis annis clapsis ; nisi fortè vocatus à maio-  
ri parte Conuentus , quempiam amplius visitare non li-  
cebit , vt der locum visitationi generali : pro quâ serio  
mandamus ; nullum Religiosum , pro confessionibus au-  
diendis deputatum , ab ipso de uno Conuento ad alium  
transferri , vel mutari , antequam examinetur de morali  
Theologia , sive casibus conscientiæ .

Si

Si autem ob infirmitatem , vel aliquod aliud ligatum impeditum , per se id facere nequiverit , de consenu , & consilio Patris Nostri Vicarij Generalis ( si commode fieri posse ) vel de consenu , & consilio Diffinitorum , deputabit duos Visitatores prouidos , & discretos , iustiæ , & Religionis amatores , & in sacris litteris mediocriter eruditos , vt pro illo perficiant dictum mu-  
nus .

Horum Officium erit , Conuentus , quos Prior Prouincialis ipsis cōmiserit , opportuno tempore , visitare Fratrumque omnium , tam subditorum , quam etiam Priorū , culpas , & excessus , secundum Religionis Statuta , corrige : & si consuetudo aliqua , in aliquo Conuento Provincie , à Regula , seu Constitutionibus , ordinationibus , vel Diffinitionibus , inolevit aliena , ab illa præcipiat Fratribus ibidem commorantibus de cætero abstinere , & tām in spiritualibus , quam in temporalibus Conuentus re-  
formare , & ad debitum modum viuendi redigere , conen-  
turus , nec ullo modo patiantur , in aliquo Conuento Provincie , quantumcumque minimo , cœrenonias illas , & sanctas institutiones negligi , ac præteriti : quarum obseruan-  
tia , ex multitudine Fratrum , minimè d'epender : vt sunt , verbi gratia , contemplationes , disciplina , silentium , ie-  
nium , Capitulū , confessio , Cōmuniō , & cætera huiusmo-  
di , quæ sic à paucis , sicut à multis , obseruari possunt .

Sequenti igitur , vel tertia die , postquam ad locum per-  
uenient , quem ex Officio visitare debebit , si fieri potest , & omnes Fratres in domo fuerint , alioquin absentes ex-  
pectent , si videbitur expedire , visitationem incipient . Ho-  
rà itaque , quæ eis opportunior videbitur , factò signo ,  
vt moris est , omnes Fratres in Capitulo congregen-  
tur , & flexis genibus , deuotè dicant alternatum Hym-  
num .

Ee2

Peni

*Veni Creator Spiritus  
Mentes tuorum visita,  
Imple superna gratia,  
Quæ tu creasti pectora, &c.*

*Kyrie eleison, &c. Pater noster, &c.  
Vers. Memento nostri Dñe in beneplacito populi tui.  
Resp. Visita nos in salutari tuo.  
Vers. Domine exaudi, &c. Resp. Et clamor, &c.  
Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum, &c.*

## OREMVS.

**D**eus virtutum, cuius est totum, quod est optimum,  
insere pectoribus nostris amorem tui nominis, &  
praesta in nobis Religionis augmentum, ut que sunt bona  
nutrias, ac pietatis studio, quæ sunt nutrita, custodias. Per  
Christum, &c.

Tunc surgant, & alter Visitatorum dicto *Adiutorium*,  
&c. breuem sermonem faciat de aliquâ spirituali, & vi-  
tium materiâ, si voluerit: quod, per singulos Conventus, al-  
ternatim facere debent. Postea Fratres admonebit, & cau-  
tos reddet de pertinentibus ad actum visitationis, sicut  
videbitur expedire: pricipue; ne aliquis dicat inutilia,  
vel frivola; nec ea, quæ alias sunt correcta. Deinde legat,  
vel legere faciat, excommunicationis sententiam, in hac  
formâ.

*Nos F. N. & F. N. huius Congregationis, vel Provincie  
Eremitarum Excalceatorum S. P. N. Augustini Vi-  
sitatores indigni. Vos omnes, & singulos Patres, & Fra-  
tres huius Conuentus N. eiusdem Ordinis, ac voti, rogamus  
hortamur, & in Dño monemus, primo, secundo, & tertio,*

*& vobis in virtute Sancti Spiritus praep̄c̄imus, per obe-  
dientiam salutarem, quatenus remotis odio, amore, timo-  
re, pretio, ac precibus, dicatis nobis, quantum in Domino po-  
teritis, veritatem in omnibus, de quibus à nobis requisiti,  
& interrogati fueritis: ac in super, quod si aliquid notabile  
scitis, vel audiuitis de Venerabili Provinciali, vel Priore,  
vel Fratre aliquo, quod tolerari non debeat, nec deceat, il-  
lud nobis charitatib⁹ reuelatis. Quod si aliquis def̄r̄ hoc  
præsens nostrum mandatum obseruare contempserit, ex nōc,  
propt̄ tūc, trinā canonica monitione præmissa, in hiscrip-  
tis licet inuiti, eum vinculo excommunicationis innoda-  
mus. Lecta, & latata sit hac sententia, anno Domini millesimo  
&c. Dicitali, Mensitali, in Capitulo Conventus N.  
Et legantur eorum subscriptiones, ac similiter adiun-  
garat.*

*Hec autem sunt ea, de quibus ex narrante, prout tunc, invi-  
quemque vestrum à nobis requisitum, & interrogatum  
esse volumus, atque de facto requirimas, & interrogamus:  
videlicet:*

*Si Officium Divinum, tam diurnum, quam nocturnum,  
ut decet, horis debitissimis, deuotè dicitur, & statutis diebus  
cantetur.*

*Si Prior ad Matutinum surgat.*

*An omnes Sacerdotes in Missarū celebrationē consor-  
tes sint; & si debit⁹ Ordinarium Romanum, ac nostra Cō-  
gregationis, in Choro, & Altari, à Fratribus observa-  
tur.*

*An sit aliquis suspectus de horis non dicendis; & de no-  
confitendo frequenter.*

*Si Ecclesia, Chorus Sacrislia, sacræ vestes, paramenta, &  
alia, quæ ad Divinū cultū pertinē, debito, & Religioso  
modo, seruētur: pricipue autē Sacratissima Eucharistia &  
Sacramētū, & si lampas, die, ac nocte, ardeat ante ipst⁹, quo-*

## Parstertia

modo seruetur Oleum Sanctum pro infirmis, atque etiam reliquiae Sanctorum.

Quomodo seruiatur infirmis, & eis, iuxta possibiliteratem loci, & consilium Medici, necessaria tribuantur.

Quomodo recipiantur Hospites.

Quomodo Novitij, & Fratres omnes iuniores, in timore Dei, & bonis litteris, sedulo instruuntur.

An solita ieiunia Religionis sine causâ frangantur.

Si vestes linceæ ad carnes portentur.

Sibens silentium, horis, & locis debitibus, obseruetur: & se Prior de nocte colloquijs inutilibus ex conjectudine vacet.

Si debitus modus in visitatione, & collocutione cùm mulieribus seruetur.

Si diebus statutis Capitulum teneatur, & ad ipsum Fratres conueniant.

Si lampas in dormitorio, singulis noctibus, ardeat.

Si aliquid ex Constitutionibus, ordinationibus, vel Definitionibus, seu Superiorum quorumcumque preceptis, vel Statutis, contemnatur: ita scilicet: quod nec Prior Fratres ad id obseruandum moneat, & hortetur, nec transgressores, aliquando, vel raro, increpet, reprehendat, & corrigat.

An sit aliquis proprietarius in Conventu, vel qui re sibi collata am celebit.

An aliquis Frater, cum scandalo, non alloquatur alterum.

An singuli debite Priori subjiciantur.

An aliqui si st notati de nimia familiaritate Personarum (injuria suspitionis), vel hominibus malæ vita sint aliqui communiter familiares,

## Conf. Aug. Discal.

Si intus, vel foris, sunt potatores scandalosi.

Si aliqui ludis utantur prohibitis, vel si Habitum ludendo dimiserint.

Si aliqui sunt affueti iurare, vel curpiter, loqui etiam iocose, unde male adfiscerent ceteri.

An Prior visitet cellas Fratrum, bis in anno, sicut iubet Constitutione.

An Prior de vestibus, omni diligentia, & charitate, Fratribus prouideat.

An Prior Fratrem aliquem cum vdonibus ē Domo extre permerit.

Vltimò, si Famili Conuentus sunt pacifici, & honesti.

Deinde omnes processionaliter vadat ad Altare maius, obseruatà formâ nostri Ritualis, & aperto Sacrario, in quo afferuatur Sanctissimum Sacramentum, diligenter, reue rentia debita, inquiratur, si aliquid desit, ad decentiam tati Sacramenti spectans: & si tale (quaod Deus auerterat) forte acciderit, nulla excusatione admisâ, rigorosissime, vt oportet, puniatur.

Postea Fratrem aliquem modestum, & diligentem, pro Fratribus vocandis nominabit, qui nomina, & cognomina, singulorum Fratrum Conuentus, scripta per ordinem, Visitatoribus ante omnia presentabit: & exinde usque ad Capitulum de culpis, nec Prior, nec Frater aliquis de Conventu, absque speciali licentia Patrum Visitatorum, extrâ Monasteriū, ire presumat. Quo etiâ tempore ipsi Patres Visitatores primum locum habebunt: (etiam supra Provincialē, si Generales fuerint (sed antea, vel postea, si ex rationabili causâ moram traxerint, locum suum in Religione consuetum tenebunt, & ab omnibus reverenter tractabuntur.

Declaramus autem, non ex eo, Priorem ab Officio, & gnu-

gubernio quomodolibet suspendi: poterit enim exequi sua munia, sicut antea, excepta potestate licentiandi Fratres, ut extra Conventum vadant; nisi aliter Patribus Visitatoribus videatur expedire: in quorum dispositione sit, rationabiliter limitare, qua voluerint.

Tempus, infra quod debeant omnium culpas audire, & super eis inquisitiones debitas facere, decem dierum spatio coarctetur; itaque si aliquis casus emerferit, qui maiorem moram iustè poterat, extra Visitationem venteretur: quare sufficit, ut intra præfixum terminum, cum diligentia, & sollicitudine Fratres vocare faciant, eosque audiant; nec tempus amittant, immo, ante, & post prandium, quotidie visitationis Officium exerceant, ut quam primum se expediant.

Incipientes igitur à Superiori, successivè audiant singulos Fratres, scribentes ea, quæ sibi dicta, & reuelata fuerint, in libello, in quo vnuſquisque Frater singula, quæ dixerit, manu propriâ, suo nomine, confirmabit (sic tamen cautè, quod aliorum testimonia legere non possit) ut si forte, super aliquo casu, contentio oriatur, habeant Visitatores, vnde veritas innotescat.

Non autem vocentur; neque audiantur infames, quales sunt falsi accusatores, detractores, maledicti, falsi testes, surripientes, ebrios, & alij huiusmodi, ut videri potest in locis suis; & siqu alij, per Capitulum Provinciale iudicati fuerint infames; quorum testimonia nihil penitus valere voluntus: quos omnes etiam priuatissime esse declaramus, ea que defacto carere volumus.

Licet autem non intendamus, ut in correctionibus, & sententijs nostris, sicut in foro contentioso procedatur, sed simpliciter, & de plano, sola rei veritate inspectâ, præser-  
tim cum in Religione nostrâ, in correctionibus Fratrum, iuriis ordine postposito, secundum Ordinis nostri statuta

procedere, liberè, & licite, ex induito Apostolico, pos-  
sint, & valeant) nolumus tamen, ut nostri Superiores, in  
suis visitationibus, ac iudicijs, veritatem illam inspic-  
re, & crimina detegere, per fas, & nefas, sibilicete pug-  
tent.

Multum verò interest, quod Visitatores, ex his, quæ audiunt in visitatione; non facilè conscientiam forment, sed potius diligenter inuestigent de conditionibus Personæ denuntiantis; si forte cum non cognoverint, arque diligenter attendant, & ponderent modum, motum, & af-  
fectum ipsius.

Si quis etiam alicui crimen obieccerit, culus complicem, vel consicum se fuisse dicat; non admittatur eius testimoniū, contra talēm, cum nullus turpitudinem suam alle-  
gare possit, sed ipse idem, sicut reus criminis, quod pro-  
prio ore confessus est, publicè puniatur.

Quando aliquis objicit crimen alicui; quod tamen probari non potest, si is qui objicit crimen, usque tunc vita laudabilis, & sanctæ conuersationis extiterit, & de eo cui objicitur crimen, quod illud, vel simile quid alias com-  
misserit, apud graues Personas nostra Religionis, inter  
quas coruertatus fuerit, sit opinio lafa; licet contra eum non procedatur ad prenam, quæ tali culpa debetur, eo quod sufficiens testimonium nō appareat, nihilominus de loco, vbi tale commissile crimen dicitur, remouetur, &  
in alio colloceatur; sed si non sit auditus huiusmodi sermo  
de illo, cuñuscumque meriti sit accusans, ipse accusatus; ob  
id granari in aliquo non debet.

Si aliquis Frater committerit aliquid, de quo sit grave scandalum, apud laiculares, poterunt super hoc recipere testimonia laiculorum Personarum; de quibus non sit sus-  
cipio odij contra Ordinem, vel Fratrem prædictum: qui-  
bus receptis, poterunt ad sententiam procedere,

## Pars tertia

Postquam igitur inquisitione de omnibus, quæ ad emendationem, & ad correctionem omnium spectabunt, diligenter fecerint: si aliqui vocandi fuerint, ut reprehensione secretæ puniantur, matrè, & expeditè fiat.

Deinde visitet proprijs oculis Depositum Conuētus, & in libris, tam accepti, quam dati, fidem suam relinquant eorum, quæ inuenient. Visitent etiam, cum omni patientia, & attenzione, personaliter, Sacrarium, & videat, quomodo obligationibus Misericordiarum satisfactum sit: ac deinde minutum sacra vasa, ornamenta, & vestimenta.

Viscabant quoque similiter cellas Fratrum, & si quid indecens inuenient, ab eis auferant, vel usui communii applicant, vel vendi faciant, ut de pretio aliquid, pro infirmitate ematur. Visitent etiam alias principales Officinas Conuentus, ut putat, loca infirmorum, & Hospitalium, ac Bibliothecam, &c. & in omnibus videant, & notent meliorationes Conuentus.

Cum autem ad determinationem visitationis ventum fuerit, si aliquas nouas ordinationes relinquere voluerint custodiendas, debent primò super his, cum Priore, & quatuor Patribus Deputatis, vel duobus, in minoribus Conuentibus, conferre, & eorum sensu, qui nouerunt plenius statum Domus, fidem adhibere: quas ordinationes, in libro Conuentus scribant, vel scribifaciant, ac manu propria confirmant, in quo libro, tam hæ ordinationes, quam Diffinitiones Capitulorum Generaliū, ac Provincialium illius Provincie, & alia memorabilia, pro bono Conuētus, registrari debent. In libro etiā, quem ecclesiam deferent, omnia supradicta scribant, vel scribi faciant.

His omnibus peratis, Capitulum de culpis teneant, & unus eorum, idem scilicet, qui in primo Capitulo Sermonem fecit, in hoc secundo, dicto Adiutorium

## Conf. Aug. Discal.

Eccl. verbum habeat opportunum. Deinde publicet ordinationes, si quæ factæ fuerint: postea dicat: Agamus de culpis, &c. & Prior surget, & corā Patribus Visitatoribus, humiliter genuflectens, dicat suam culpam; nec surget quādiū cum eo locuti. Visitatores fuerint: interim Conuentus stet, & post eum sedeat. Deponere Priorē, vel absoluere, non poterunt, sed si calus grauis emerſerit, ab Officio suspendant: admittente autē aliquius renuntiatione, nullatenus valebunt.

In poenitentijs iniungendis, prouide discernant gravitatem culparum, & prout possibile fuerit cum charitate, puniant, iusto modo, sine perturbatione, & plusquam in ordinarijs Capitulis puniri solent excessus; ne visitatio veniat in contemptum.

Ante iniunctionem poenitentiæ aggrauent culpas, quæ maiori reprobatione dignæ fuerint, in quolibet delinquētce: ut per hac audientes arcentur, & ad caendum inducentur. Virtutes vero in bonis laudent, & commendent, ut cæteri excitentur, & animentur.

Principaliter autem ad hæc intendere debent, ut ex sua visitatione sequatur correccio culparum: Religio reformetur, obedientia, deuotio, & omne denique bonum, in Fratribus augeatur, & pax, charitas, & trāquillitas in Domo relinquatur.

Postea Supprior, pro se, & pro omnibus Sacerdotibus, & Patribus grauioribus, dicat suam culpam: quod etiā faciat primus ex Professis pro se, & pro omnibus non Sacerdotibus, & imposita eis poenitentiæ, dicant omnes, generibus flexis: Confiteor, &c. & Visitator faciat absolutiōnem generalē consuetam, & cōcedat omnibus, & singulis, licentiam eligendi Confessorem idoneum, & approbatum, ciudem Conuentus, qui eos, infra tres dies, absoluere possit, ab omnibus casibus, & cōfūris, & dicto Adiutorium, &c. Capitulum soluat.

Si inuenient aliquem ex Fratribus aliquid commisisse, propter quod de Conventu illo sit merito remouendus: putat, quia suscitat schismata inter Frates, aut cōtra Prio-rem malē se exeret, siue alicui Personā familiaritate cō- iunctus est; quam ipse deserere non vult, & sine scandalo tenēre non potest, vel crimen aliquid graue commiserit, per quod generauerit, vel generari possit, scandalum in populo, seu Conventu, aut Fratum turbare, vel impe-dire, quietem, vel si inter sacerdtales est infamis, etiam si de delicto conuinci nequeat, & propter alia huiusmodi Superioribus scribant, vel Capitulo denuntient, vt Fra-trem illum indē remouent, & si scandalum talis Fra-tris nimis inualescat, cum ad Superiores, cum litteris, statim transmittant.

Venerabiles Visitatores (dūm Generales fuerint) de correptione Prouincialis non se impediant; nec de suis culpis, vel vnum verbum loquantur, in Capitulo Con-ventus, sed eas fideliter P. N. Vicario Generali præsen-tent, si relata fuerint sibi.

Decernimus insuper, quod si quis aliquem Fratrem apud alium quām Superiorē, vel Prælatum nostrā Religionis (exceptis casibus ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis perti-nentibus) accusauerit, ipso facto sit omnibus gradibus, ac voce vtrāque priuatus, vque ad dispensationem Capitu-li Prouincialis.

Inhibemus autem; ne quis pro huiusmodi correptionibus recursum habeat ad Iuristas, vel ad quavis alias Personas; que non sint nostræ Religionis, vt se, vel aliū, à culpis defendat, vel à peccata eximat. Si quis autem contrā fecerit, per triennium voce, sine dispensatione, priuatur. Idem obsernari volumus de correptionibus aliorum Superiorum Religionis nostra.

Vt autem uniuicue ius seruetur, ac nullatenus la-  
di-

datur defensionis locus, ordinamus, quod quando aliquis Frater se aliquo delicto denūtiatum, aut grauatum, sen-erit, eligere valeat ad se tuendum, & purgandum, quemlibet Religio sum ex grauioribus Prouincie, vt eius pruden-tiā, sciētiā, & consilio, vratur, quantum ad suam indemni-tatem, & iustitiam propalandam, expedire iudicaue-rit.

Ex sola suspitione aliquis alium non accuset: alias ac-cusans sustinere cogatur peccatum, quam accusatus portare debuisse, si de obiecta sibi culpā conuictus fuisset. Eamde-penam sustinet, qui in probatione accusationis alicuius defecerit.

Vt autem occasiones inquietudinis vitentur, & melius pax, ac benevolentia cum omnibus conseruetur; nemo ex nostris, nec in causis criminalibus: nec etiam ciuilibus, se examinari, sine licentiā sui Superioris, permittat, sub pœ-nā priuationis vocis per annum. Superior autem licetiam dare minimē poterit, in causis criminalibus, vel infamatorijs: poterit verò eam dare in causis, qua ad Religionem Catholicam pertinent, & in pijs causis ciuilibus, qua quā-tum fieri possit, sic cedant in vnius fauorem, vt in alterius detrimentum non cedant, quandoquidem Instituti nostri est, sine cuiusquam offensione, quantum fieri potest, omniū in Domino commodis inseruire.

Indebitas appellations à correptione Regulari, vel à pre-ceptō sui Superioris, penitus prohibemus, & à nostrā Cō-gregatione relegamus, & ineptas iudicamus: & vt tales; non esse audiendas declaramus. Quapropter si quis à pro-cessibus, seu sententijs, visitationibus, correctionibus, seu præceptis, Officialium nostræ Religionis huiusmodi appelle- lauerit: etiam si ad Superiorē appelletur: ex nunc, prout iū-sic inept, & indebit appellantem voce priuamus, per triennium, & idem iudicium fieri mandamus de his, qui ap-pel-

## Parstertia

pellantibus adhucserint, vel appellations defenderint; cum ad Ordinem non venerimus contendere, sed proprie voluntati reuantiare, & pati cum Christo, & pro Christo.

Debitas autem appellations in casibus licitis de iure, præscribitur, Decretum Sacrae Congregationis Regularium in hunc modum.

Instante apud Sacram Congregationem Cardinalium, Episcoporum, Regulariamque negotijs Præpositori, Procuratore Generali Fratrum Discalceatorum Sancti Augustini Congregationis Hispaniarum, & Indiarum, ut in eius Congregatione obseretur infra scriptum Decretum, alias de anno M. DLXXXVII, de ordine eiusdem Sacrae Congregationis promulgatum scilicet. Quoniam nonnulli Regulares vagandi studio, sive dum imminentem admissorum criminum paenam in suis Constitutionibus, aut alias debitam, metuunt, falsa, & commentitia grauamine causari, non ad immediatum sui Ordinis Superiorum: didelicet à grauamine Prioris ad Provincialem, à Provinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem: prout cuiusque Religionis Constitutionibus disponitur, sed ad hanc Romanam Curiam, absque licentia, sibi consigunt, potius quam recurrunt ex quo Ordinum disciplina relaxatur, Prælati contemnuntur, & ipsi in dies audacie res eudūt. Placuit Sacra Regularium Congregationi ex ordine Santissimi Statuere, ut si quis Regularis in posterū temere, leui de ex causa, hanc aliam Vrbem, seu Curiam, ab his sui Superioris licetia, & auctoritate formè præmissa, adire præsumperit, ad suos eosdem Superiores serucriori paenam plectendus remittatur.

Illusterrissimi eiusdem Sacrae Congregationis Patres super prescriptum Decretum, ut petitur, cum declaratione ulteriori, quod Fratres à grauamine Provincialis ad Vicarii

Gc

## Conf. Aug. Dicat.

Generalem, à Vicario Generali ad Generalem, & à Generali ad Protectorem, recurrere teneantur, modo, & forma supradictis, obseruari debere, & totius dicti Ordinis Generali, quod ita obseruari cures, iniungendum censuit: prout presentis Decreti vigore expresse obseruari præcipit, atque cōmittit. Rome 14. Octobr. 1622. Ant. Card. Saulius, Laur. Camp.

Adiutimus tandem, quod prædictum modum visitandi, ac iudicandi, seruare teneantur omnes Superiores nostræ Congregationis, in suis iudicijs, ut dictum est supra, in Cap. de visitatione generali.

## NOTAE.

**A**d tollendum abusum, quo nonnulli utriusque sexus Regulares Personæ nostri Ordinis, Dei timore postposito, & sua professionis immemores ad Secularia Tribunalia appellare, & ad ea temere confugere consuerunt, in non modicam iurisdictionis ipsorum Superiorum lesionē, & Regularis Instituti alterationem, ac scandalum plarimorum: Clemens Papa VII. Universis, & singulis dicti Ordinis utriusque sexus Regularibus Personis cuiuscumque dignitatis, status, gratias, & conditionis, existentibus, Apostolica auctoritate, præcipit, & mandat, eisq; sub excommunicationis latente sententiæ: à qua nō, nisi à Romano Pontifice, pro tempore existente, præterquam in mortis articulo, absolu possint, necnon priuationis perpetua Officiorū per eos obtētorū, ac inhabilitatis ad illa, & alia quæcumque dicti Ordinis Officia, ac vocis, tam actiue, quam passiue, eis ipso, absq; alia declaratione incurritis penitentib[us] in bibet, ne ad ipsa Tribunalia secularia, quouis pretextu, aut que sitio colore, appellare, vel ad illa consurgere, aut ea propozere, & quoque modo, adire audeant, vel presumant. Vult

## Parteria

Vult insuper. & ita declarat; quod nedium dicti Ordinis Regulares Personæ contra facientes, verum etiam eorum quomodo libet directè, vel indirectè fautores, & consultores, easdem pœnas, eo ipso, omnino incurvant.

DE OFFICIO, ET A UTHORITATE PRIMO  
ris localis, & pro quibus casibus posse priuari.

## CAPUT DECIMVM SEPTIMVM.

Prior tanquam Patri Fratres sui Conuentus cum omnibus subiectione, saluis semper mandatis Superiorum, in omnibus, obediāt, ab eisq; in singulari reueſtia habeatur: nā Dederū filij Pater sine honore. Ipse in primis diligenter legat, & notet, qua de Officio P.N. Vicarij Generalis, & Prioris Provincialis, scripta sunt, & qua si oī competunt, secundum suum Officium, opere adimplere, pro virtibus laborei: quod, & Provincialis, è conuerio, facere teneunt, cum etiam, & ipse Prior sit totius Provinciae.

Circa omnes se ipsum bonorum operum præbeat exemplum; nec percepta abutatur potestate, sed tanto magis se ipsum in omni disciplinā cohibeat, quanto in Monasterio nullum alium habet à quo possit cohiberi. Vestitus, & leuctria eius; nec in pretio; nec in forma; singula sunt.

In Refectorio cum cæteris, & sicut cæteri, comedat; nam cum Prelatus aperitates Religionis cum alijs sustineat, ipse intelligit que sunt proximi in se ipso, & dum sentit misericordiam, addiscit misericordiam: qui vero per experientiam misericordiam non nouit, misericordia compati nescit, iuxta illud Amos 6. Bibentes vinum in phialis, & optimo anguento delibuti nihil compaciebantur super contritione Ioseph.

Spiritualibus exercitijs libeter interfit, quod singula ordinatè fiat, iuxta illud Exodi 18. Esto (inquit) cum populo

## Conf. Aug Discal.

In his quæ ad Deam pertinent. Circum quotidiana ministraria minoris ponderis, quæ per Officiales exerceri solent, minus occupetur: semper tamen superintendat, & Officiinas sapè visitet, & in eis negligenter, vel indecēter, se habentes corripiat, & puniat.

Priorem Provincialem, & alios Superiores suos, debita cum reverentia, suscipiat, & tractari faciat: eorum mandata Fratribus frequenter proponat, & ut plenè observetur, operam det, eisque ipsammet obedientiam præstet, quam à Fratribus suis sibi præstari desiderat, & procurare debet.

Ad Officium eius pertinet subditis suis spiritualia, & temporalia, tam in sanitate, quam in infirmitate, ministrare: varia eorum conditiones, & complexiones, inuestigare; & non, codem modo, omnes tractare, sed potius singularis se coaptare, quantum Religio absque peccato permittit: quorundam infirmitates, tam animorum, quam corporum, supportando, aliorum proteruiam, & contumaciam humiliando: pusillanimes roborando, desolatos, & tristes, consolando, naturaliter impatientes, & iracundos, ad horam, sustinendo; patientes non irritando, honestiores, & verecundiiores, verbis corripiendo, vitiulos, & improbos (si qui fuerint) poenis corrigendo.

Eo tamen modo, in correctionibus, se gerat, ut etiam qui reprehenduntur, & corriguntur, quamvis secundum inferiorem hominem, quod agitur, sibi displiceat, agnoscant nihilominus, quod recte in Domino, & cum charitate ille suum Officium exequatur; delinquentium peccata non dissimulando, sed mox ut cooperint oriri, radiibus amputando, memor periculi Heli Sacerdotis de Silo: feruentiores plus debito refrænando: periculosos, & proclives, sollicitè custodiendo, ipsisque, si contingat, interdum exire, cautè associando, iuuenes

de facili non exponendo, maturos, & idoneos, occupando: si que modo priuatè, modo publicè, modo durè, modo blande, modo verbis, modo operibus, modo poenis, & disciplinis, modo recreationibus licitis, & honestis, ut alacriores ad res Diuinæ, & sacras, reddantur, modo per se, modo per alias Fratres discretos, agendo, dare debet singulorum, & Ordinis, profectibus operam efficacem.

Prior quoque, cui cura animarum subditorum suorum, de quibus debet rationem reddere Deo, & administratio Conuentus à Provinciâ commissa sunt, subditos suos ad humilitatem, obedientiam, paupertatem, castitatem, aliasque virtutes, frequenterhortetur, & moneat, maximè Sacerdotes, & antiquiores: nàm ad progressum in virtutibus faciendum, multum cōfert antiquiorum exemplum: iuniores enim, sicut ipsos facere viderint, sic & ipsi facient.

Ad Orationem mentalem, & Horas Canonicas, tēporibus statutis, Domino Deo reddēdas, in Choro, & extatā, solliciter, easque semper in Choro, pro more dici, aut catarī distincte, & deuotè, faciat: quibus semper intersit, nisi negotio communis sit occupatus.

Moneat quoque Fratres, quando opus fuerit, vt Domi, aeforis, religiosè, & deuotè, incendant, & cū omnibus, maximè cum Clericis, & Religiosis alterius Ordinis, humilietur, & modestè, loquantur, ipsique honorem, & reverentiam, cum calus occurrit, exhibeant: vt sibi ipsis tribuāt titulos Religionis honestos, & condecorantes: & Sacerdotes, Patres: nō Sacerdotes verò, Fratres appellant, inuicem honore præuenientes, Deum in se ipsis honorantes: cuius Templa facti sunt.

Præterea inhibeat Fratribus, per Ecclesiam obambulare, vel per eam, extra Conuentum exentes, vel ad-

Conuentum redeentes transire, maximè quando Divinæ in eâ celebratur Officium. Silentium, quod decor Religionis est, Fratribus sapè commendet, & ab omnibus discrete seruari faciat.

In decenti administratione, solemni cultu Divini Officij, & obseruantiâ Regulæ, & Constitutionum, ordinacionum, ac Diffinitionum, & odore bonæ vitæ, & famæ, Domi, & fortis, per se, & suos Fratres, vigilet, & incessanter infat, vt Deo, qui corde, & opere, colitur, administrationem acceptam, & gratam exhibeat, vt ex eâ Ordini Fidelitatem deuotio plus accrefcat.

Fratres adiuicem in vinculo pacis, & charitatis, coniunctos conseruare procuret: si autem scierit, quod aliquis Frater ex deliberatione, & pro animi affectu, alicui Fratri non loquatur, statim cum, vel eos moneat, vt omni liuore deposito adiuicem loquantur. Si verò aliquis sic admonitus, infra diem naturalem, se non emendauerit, & Fratri locutus non fuerit, ipso facto careat voce, donec cum eo, per Patrem Nostrum Vicarium Generalem, vel per Capitulum Generale fuerit dispensatum: addentes, quod iste talis non communicet, donec Fratri loquatur.

Vtilitatem, & commoditatem Conuentus, sic prouide procuret, & querat, vt in fabricâ Ecclesie, & domorum, & alia loci promotione, sua sollicitudo, & fidelitas nota fiat. Ecclesiam, Chorum, & Sacrarium, in his, quæ ad deorem, & ornatum, pertinent, studeat sollicitè conseruare: Officinas verò alias, seu domos, mundas, & honestas, procurare penitus teneri.

Poterit Prior Supp̄torem, & Sacrarium, si ipsi limites authoritatis, sibi ab ipso Priore commissa, excesserint, & moniti primò, secundò, & tertio, in Capitulo, vel corā testibus, ulterius id facere prælumpserint, ab Officio sus-